DE T. MACCI PLAUTI PERSA.

DISSERTATIO LITTERARIA INAUGURALIS

DE

T. MACCI PLAUTI PERSA,

QUAM

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HENRICI JACOBI HAMAKER,

iur. utr. doct. et in fac. iur. prof.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS

PHILOSOPHIAE ET LITTERARUM DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN

LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

ARENTIUS VAN IJSENDIJK,

FRISIUS EX PAGO DEINUM,

d. XXVII. m. Iunii a. MDCCCLXXXIV, hora I.

TRAIECTI AD RHENUM,

APUD I. VAN DRUTEN.

MDCCCLXXXIV.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS SACRUM.

L. S.

In luculentissimis semper me hunc diem habiturum esse puto, quo ad calcem veni, ad quam decurrere omnibus in hoc studiorum curriculum ingredientibus in votis est. Nunc, cum in eo sim, ut studiis academicis colophonem addam, non solum ex more solito, verum etiam ex animi sententia paucis verbis in introitu huius libelli, qui studiorum meorum primitias continet, praefari cupio quae in pectore meo versantur.

Primo igitur vobis valedico et gratias ago, amicissimi, quorum consuetudo per illud tempus, quo in Academia nostra versatus sum, iucundissima mihi fuit: valete et nolite preces meas aspernari, memores ut sitis mecum peracti temporis meique, qui ipse et semper vestri meminero, et hoc die praeterita bona grata recordatione recolo.

—

Quo animi grati officio perfuncto restat mihi, ut, lubentissime occasione oblata usus, gratum animum testificer viris clarissimis quorum egregia institutione in hac Academia uti mihi contigit. Quorum in primis tu nominatim nuncupandus es, vir eruditissime et benivolentissime, Francken, *qui partes promotoris suscepisti, cuiusque doctrina atque benivolentia in studiis meis nec non in hoc libello scribendo semper mihi praesto fuerunt: tibi persuade, discipulum tuum meritorum tuorum in se semper grata recordatione memorem esse futurum.*

Item vos, viri eruditissimi van Herwerden, Wijnne, Opzoomer *et* Brill *(cui iam otio cum dignitate frui licet), quos studiorum meorum moderatores me habuisse magni facio, accipite meritas meas gratias: longum tempus, ut adhuc fuistis, Academiae illi, cui vires vestras haud parvi pendendas tribuitis, decori sitis!*

I. Annotata ad Persae Plautinae locos selectos.

Ritschelius qui unus optime saeculo nostro de Plauto meritus est, in prolegomenis Persae (pg. IX) scribit: „nihil nunc dicam de singulari metrorum varietate, „quae cum in cantica Plautina plurima cadat, tamen in „hac fabula haud scio an in insolentiorem licentiam „vertat: id quod de prima potissimum et paenultima „scena significavi e. q. s.” Lubet statim haec verba proferre, quoniam mihi persuasum est in Plautinis fabulis emendandis maiorem metri ordinem in diverbiis indagandum esse, cum saepius exigua mutatione concinnitas metri restitui possit.

Quamvis textus corruptior esse videatur quam ut ubique reperiri possit quae re vera poetae manus dederit, tamen mihi in animo est nonnullos locos ex Plauti Persa seligere, ut, quod pro viribus meis parvis possim, quantumque id fieri possit, germana forma restituatur.

Inde a versu primo (I : 1) usque ad 12um, invenimus ex recensione R. versus iambicos, qui monologias Toxili et Sagaristionis continent: tum metrum mutatur et legimus versus 13um—16um metro trochaico: cum hac autem metri mutatione coniuncta est transitus a monologia ad exclamationes quibus alterum ab altero agnosci indicatur.

17 (1 : 1 : 17). S. Út vales? T. Út queo. S. Quid agitur? T. Vívitur.

Quamvis facile sit hunc versum trochaicum efficere, tamen manum abstinendam esse credo: in huiuscemodi brevibus interrogationibus quae spectant ad salutem dandam reddendamque quiddam mire vividum praebent cretici. Cf. Captivi 832 (Ed. Br.):

Er. Séd quis est? He. Réspice ad me: Hégio sum Er. O mihi, e. q. s.

Item hoc loco inter duos alius metri versus haec verba cretico metro scripta sunt.

Cf. *Studemundium* de canticis Plautinis, pg. 63, qui disputat „propium esse cretici (et bacchei) munus, ut a trochaeo ad iambum transducat". Versum sequentem igitur cum Bothio iambicum efficiente legamus: [1])

18. S. Satísne ergo ex senténtia? T. Si evénient quae exoptó satis. [2])

Iambici continuantur usque ad vs. 25um: tum trochaicis excipiuntur, qui versu 43 usque ad finem primae scenae nonnullis exceptis iambicis cedere debent. Causam huius mutationis invenire haud potui.

Verum cum minime mihi persuasum sit scenam hanc, quemadmodum hodie in libris legitur, integram fabulae Plautinae scenam esse, plura de metrorum varietate

---

[1]) *Ritschl.* versum trochaicum efficiens sic legit:

S. Sátin ergo ex senténtia? T. Si evéniunt quae exoptó satis.

Item A. Spengel: Reformvorschläge zur Metrik der Lyrischen Versarten bei Plautus *cet.* von A. Spengel (1882) pg. 385.

[2]) *Studemundius* cetera Bothio assentiens, lectione *satisne* opus esse negat: itaque *satin* legit ultima producta.

disputare missum facio. [1]) Tantum haec addita volo:

26 et 27: Cum eis belligerem, quibus sat esse non queam.

Sententia non *sat esse* verum *par esse* postulat: quamobrem legatur: quibus par esse non queam.

32 et 34 facile trochaici sic leguntur:

31. Sa. Váh, iam scapulae prúriunt.
32. Quía te istaec audívi loqui. T. Set hóc me unum excruciát. S. Quid est?
33. T. Haéc dies summa hódiest, mea mi amíca sitne líbera an [2])
34. Sémpiternam sérvitutem sérviat. Sa. Quid núnc vis ergo? [3])

Tantum *quid est* mutavi, pro quo libri habent *quid nam id est?* Cf. Curcul. 61, 62:

Th. Id eó fit, quia istic léno aegrotus íncubat.

---

[1]) Siquem versiculi 27 et 38 (ex rec. R) offendant, cogitet annon versus praecedentes notis vel glossematis perturbari potuerint, eoque modo legendum sit, omissis hemistichiis „quid ego faciam" et „cum eis belligerem" ante „quibus" in priore:

Detsne advorser, quási Titani quibus sat esse nón queam?

In altero (omissis „hoc triduo aut quadriduo"):

37. Quós continuo tíbi reponam: age fí benignus: súbveni.

[2]) C. F. W. Müller (Plautinische Prosodie. Berlin. 1869). pg. 711, sic: Háec dies summa hodiést, mea amica sitne an non sit líbera.

[3]) Ritschl sic, deletis vs 32 *me*, vs 34 *nunc vis*:

31. Sag. Váh, iam scapulae pruriunt.
32. Quia te ístaec audiví loqui. To set hoc únum excruciat. S. Quíd. nam id est?
33. Haéc dies summa hódiest, mea mi amíca sit ne líbera.
34. An sémpiternam *cet.*

In Aésculapi fáno: is me excruciát. PAL. Quid est?
Cf. praeterea Mil. 170 (2:2:16), Amphitr. 556 (2 : 1 : 6).

39. Sic in libris legitur:

Qua confidentia rogare tu a me argentum tantum audes.

Operam dans ut hunc versum in eam formam redigerem, quae est versui sequenti, incideram in: *Qua fiducia*, quod eo liberiore animo ponere audeo, cum videam virum haud exigua auctoritate in Plautinis quaestionibus in idem incidisse. *Seyffertius* enim (IX Jahresbericht vom Sophien-Gymnasium in Berlin: Studia Plautina von Dr. O. Seyffert 1874) scribit: pg. 5: „Plurima vero afferri possunt exempla, ubi librariorum „vel neglegentia vel fraude idem accidisse constat, ut „Plautina verba aliis eiusdem fere potestatis vocabulis „expulsa sint." Inter haec exempla habet hunc versum, quem trochaico metro sic cum eo legere non dubito:

Quá fiduciá rogare tu á med argentúm tantum audes [1].

41. Cum libris legatur:

Quód tu me rogás: nam tu aquam a púmice nunc póstulas.

ultima syllaba vocabuli *pumice* producta. Cf. Lorenz; Mil. Glor. vs. 700 qui plura huius productionis exempla affert. [2]

42. Versus non integer:

---

[1]) R. Qua cónfidentiá rogare argéntum me tantum aúdes. *argentum me* pro: *tu a me argentum*.

[2]) R. Quód tu me rogás: nam tu aquam a púmice hercle póstulas.

Qui ípsus sitiat. T. Sícine hoc te mihi fácere?
S. Quid faciám? T. Rogan?

Quid significent verba: *Sicine hoc te mihi facere*, non intellego. Praeterea non est natura proverbiorum ut nonnullis verbis additis explicentur. Permulta exempla afferri possunt quibus efficiatur Plautum quoque ab hac consuetudine non abhorruisse. Cf. Asin. 79 nudo detrahere vestimenta me iubes. Men. 248 (2 : 1 : 22) In scirpo nodum quaeris. Most. 4 : 2 : 68 is vel Herculi conterere quaestum possiet. Poen. 775 (3 : 5 : 31) lupo agnum eripere postulas. Pseud. 1 : 1 : 100: Non pluris refert quam si imbrem in cribrum ingeras. Pseud. 1 : 3 : 85 : Una opera adligem canem fugitivam agninis lactibus *cet.* — Quamobrem verba *qui ipsus sitiat* insitiva esse puto. Natura enim pumicis satis erat cognita spectatoribus. Cf. praeterea Aul. 2 : 4 : 18 Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex. Pseud. 1 : 1 : 74 Pumiceos oculos habeo: non queo Lacrumam exorare ut expuant unam modo! — Cum autem haec verba in textum irrepsissent, verba sequentia (sicine hoc est) facile fieri potuit ut contracta et eo modo depravata sint. Versu 19 in memoriam revocato ubi Sag. auxilium suum pollicetur hisce verbis »imperare oportet", puto versum 42 aliquam formam habere potuisse huic similem:

T. Sícine oportet mé tibi imperáre? S. Quid faciám?
T. Rogan? [1])

Cf. Poen. 511 (3 : 1 : 9). Sicine oportet ire amicos homini amanti operam datum? Merc. 620. (3 : 4 : 35) istucine est operam dare bonum sodalem?

[1]) C. F. W. Müller. Pl. pros pg. 443: Sicin te mi hoc — ?

45. *Nempe habeo in mundo.* Quod attinet ad significationem vocabulorum *in mundo*, conferantur Asin. 264 (2 : 1 : 16) ubi servus quidam dicit: virgae mihi in mundo sunt; eiusdem fabulae 316 (2 : 2 : 50) malum in mundo esse. Poen. 782 (3 : 5 : 38); id (sc. vae) in mundo est tuae (sc. aetati). Cas 461 (3 : 3 : 3) (homini) quod amat in mundo (est). — Quomodo autem Toxilus pecuniae indigens dicere possit: *habeo in mundo* me latet, si quidem fides habenda est *Festo* dicenti: „in mundo esse dicebant antiqui cum aliquid in promptu esse volebant intellegi." Levis est mutatio Dousae *habes* legentis (Jani Dousae Plautinarum explanationum libri IV pg. 451).

Lectionem Dousae probat P. Langen (Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus. Leipzig 1880) pg. 129. Nihilominus sensus mihi languere videtur. Toxilo nulla causa est cur credat Sagaristionem conservum tantam pecuniam habere.

Disputavit de hoc loco Rostius (opuscula I. 277) in eam partem, ut „in mundo esse" significet idem quod in dubio pendere, incertum esse; sed nego exempla a viro docto prolata uno fortasse excepto id probare. Nam ad cetera eius exempla explicatio Festi perbene adhiberi potest; unus locus dubius est Epid V : 1 : 12 (v. 618.) (Rost. vitio typogr. habet 1 : 1 : 12, pg. 279). Epidicus, qui duos senes Apoecidem et Periphanem loris emptis, capulas in manibus gestantes urbem pererrantes vidit, ex animi conscientia metuit ne in carcerem vel in pistrinum coniciatur. Igitur Stratippocli, qui fortunam suam miserantem solari conatur

hisce verbis „*Habe bonum animum*" respondet: „Quippe ego, quoi libertas in mundo sitast." Quorum quae sit sententia probat versus sequens:

STR. Ego te servabo. EP. Edepol ne illi melius, si nancti fuant.

Hoc loco re vera „*libertas in mundo sitast*" significat: „res libertatis meae est dubia, incerta," vel potius „nulla omnino spes libertatis mihi est"[1]). At ea significatio non nascitur e verbo ipso sed ex modo quo effertur. Ironice dicit, ut iam a Gronovio adnotatum est: Ironia servilis. *Habeo* etiam *Ritschl.*— *J. Brix* (Anzeige von P. Langen's Beiträgen zur Kritik und Erklärung des Plautus, in den „Neuen Jahrbüchern" 1881) pg. 50 item legit *habeo*, sed longe aliter de significatione disputat. „Toxilus," inquit „sexcentos nummos a Saga„ristione sibi commodari cupit; quo dicente se Iro esse „pauperiorem, ab eo petit, ut illud argentum mutuum „sumat, se ipsum iam expertum, nihil impetravisse. „Cum igitur Sagaristio se rem esse tentaturum ostendit, „fieri posse ut sibi fortuna melius faveat, Toxilus „pergit: „Nempe habeo in mundo" i. e. ita quidem „pecunia mihi praesto est, tantum non manu teneo; ac „si diceret, Sagaristionem haud dubie argentum confec„turum ipsique commodaturum esse. Tum Sagaristio, „eum admonens, „si id domi esset mihi" inquit, „iam „pollicerer" i. e. ne nimium confisus sis rem ita fore: „si domi mihi esset, ut non est, iam tibi pollicerer."

---

[1]) „Libertas" hoc loco tantum modo contrarium est τῷ: in carcerem conici.

Ut mea quidem opinio fert, nexus multum proficeret si totum versum 45 delevimus. *Hoc meumst ut faciam sedulo,* multo melius versum 44 quam 45 sequitur. Ergo uno tenore legamus:

Tox. Quaesívi: nusquam rέpperi. SAG. Quaeram équidem, si quis crédat:
Hoc mêumst ut faciam sédulo. SAG. Quicquíd erit, recipe te ád me.

51. Vehementer dubitans num ultimi versus huius scenae integri sint, verba utique *cave fuas mi in quaestione* Sagaristioni, non Toxilo do [1]). Cf. Cas. 3 : 1 : 16 : Sed tu cave inquisitioni mihi sis. AL. usque adero domi. Capt. 250 (2 : 2 : 3) TH Edepol tibi ne in quaestione essemus cautum intellego. Pseud. 663 (2 : 2 : 68) Set vide sis ne in quaestione sis quando arcessam mihi. Cistell 2 : 3 : 48 : iube domi opperirier, ne in quaestione mihi sit, si quid eum velim. Semper in aliquem qui domi suae vel alioqui manere et opperiri debet.

52. Usque ero domi dum excoxero lenoni malum.
Perspicuum est hunc versum in fine depravatum esse: nonnulla exciderint necesse est, quae sic explere velim:

Usque éro domi dum excóxero lenóni malum merácum.

Ritchelius explevit:

Usque ero domi dum excoxero lenoni malam rem magnam.

---

[1]) Ritschl. totum versum Toxilo tribuit.

60. (1 : 3 : 8). Antefero ceteris lectionem Camerarii: [1])

His cógnomentum erát duris capitonibus.

Rectissime hunc versum explicat *Ladewicus* (Philologus 17 pg. 44) et confert Plaut. Capt. 1 : 1 : 19 sqq. [2])

Et hic quidem hercle, nisi qui colaphos perpeti
Potis parasitus frangique aulas in caput,
Vel extra portam Trigeminam ad saccum ilicet.

Item: *Axionicus* (Athenaeus VI : 239 f.): *'Αξ. δ' ἐν Χαλκιδικῷ φησιν.*

Ὅτε τοῦ παρασιτεῖν πρῶτον ἠράσθην μετὰ
Φιλοξένου, τῆς Πτερνοκοπίδος, ὑέος ἔτ' ὤν,
πληγὰς ὑπέμενον κονδυλίων, καὶ τρυβλίων,
ὀστῶν τε, τὸ μέγεθος τοσαύτας, ὥστε με
ἐνίοτε τοὐλάχιστον ὀκτὼ τραύματα ἔχειν.

Cf. praeterea: Athen. 6. p. 262 A. *ψωμοκόλαφον δ' εἴρηκε Δίφιλος ἐν Θησεῖ οὕτως:*

Σὲ μὲν καλοῦσι ψωμοκόλαφον δραπέτην.

Multa iam a viris doctis disputata sunt de versibus 62 sqq (1 : 2 : 10). Neque ego puto eos sanos esse, neque adhuc cuiquam contigisse ut germanam lectionem restituerit. Operae pretium mihi visum est proferre quae hac de re scripta sunt a *Kistio* (Specimen iuridicum inaugurale *cet.* Daventriae 1836) Pg. 85 (Adnot.) „hoc

---

[1]) R. neque cógnomentum is dúris fuit capitónibus.
Addit in adnot: Spectare versiculus ad alicuius Capitonis (Fonteii fortasse) duritiem et in victu continentiam videtur.

[2]) His locis addendus: Curc. 396. *Lyco* (ad Curculionem):
Nam quid id refert mea, An aula quassa cum cinere effossus siet (sc. tibi oculus.)

dicere videtur Parasitus: „nolo quadruplari, nolo delator esse criminum publicorum (spe quartae partis mulctae, „quae accusatoribus praemio cedit): non enim mihi „placent, qui hoc faciunt, nisi reip. causa faciant: (v. c. „in crimine repetundarum) nam qui id reip. causa magis „facit quam ob suum ipsius commodum, credere possim „eum esse civem bonum et fidelem: sed lex ferenda est, „ut, si quis maleficum accusat, et repertus est calum„niator, aerario cedat dimidium mulctae, quae damna„to irrogata esset; atque hoc quidem in iudiciis publicis. „De privatis hoc etiam in ea lege adscribitor: Si calum„niator alicui manum iniecerit, etc."

Verum est haec satis argute disputata esse,, et, si illa loco nostro legerentur, omnia recte se haberent. Forsitan autem rogaverit aliquis num verisimile sit parasitum tam exacte disseruisse, et num auctor hic satis memor fuerit *Donati* admonitionis: „disciplina est comi„cis, ut stultas sententias, ita etiam vitiosa verba adscri„bere ridiculis imperitisque personis" (Donatus ad Ter. Eunuchum III : 1 : 42).

Praetera *Kistius* vix nobis persuadere possit vocabulo *quadruplatori* eam vim esse quam ei tribuit. *Pseudo-Asconius* (ad divin in Caec. c. 7.) de quadruplatoribus hoc dicit: „eorum reorum accusatores qui convicti qua„drupli damnari solent, velut aleae aut pecuniae gravio„ribus usuris feneratae." Idem dicit quidem alteram quoque explicationem esse, ex qua quadruplatores essent delatores qui quartam partem rei familiaris damnati assequerentur. Verum puto talem significationem contra vocabuli naturam pugnare: tali delatori non nomen

quadruplator, sed *quartarius* vel simile quid fuisset necesse est. [1])

Ritschelius cogitare videtur de calumniae quadam actione, scribens:

Set ni legirupam damnet, det in puplicum dimidium.
Ego in re tam difficili tamque incerta nihil mutare audeo et cum codd. lego:

Sed legirupam qui damnet, det in publicum Dimidium.
Sententia haec: Odi eos qui accusando quaestum faciunt: utinam civitas certe aliquid inde lucraretur. Qui mercedem accusationis aufert, det dimidiam partem in publicum.

Hanc mercedem totam multam damnati fuisse *Festus* probare videtur, i. v. quadr.: „Quadruplatores eo „quaestu se tuebantur, ut eas res persequerentur qua„rum ex legibus quadrupli erat actio."

Praesentius remedium contra quadruplatores est quod altero loco commendat, ut de eadem summa pecuniae periclitaretur accusator qua reus, accusationi accusatio opponeretur. [2])

---

[1]) Tale nomen in eiusmodi delatores quadrare probant, ni fallor, quae *Festus* de vera significatione huius ipsius vocabuli, *quartarius* dicit: „Quartarios adpellabant antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quaestus capiebant."

[2]) Cf. quae habet Bruns-Zeitschrift für Rechtsgeschichte. vol. XII. pg. 137 sqq. Post versus usque ad 62 (1 : 2 : 10) citatos ita pergit: „und dann von dem, der publicae rei causa magis id facit, quam „sui quaesti, zum Beweise verlangt, dass er die Hälfte an den „Staat abgebe: legirupam qui damnet, det in publicum dimidium. „Darin liegt dass er nicht etwa vom Staate die Hälfte zur Belohnung „bekommt, sondern selber direct das Ganze erhält und davon nur „anständiger Weise die Hälfte an den Staat abgeben soll."

Mihi quidem vitium latere videtur vs, 69 (1 : 2 : 17) praesertim propter istam laxiorem duarum legum ferendarum coniunctionem, breviorem istum transitum ab una ad alteram. Sed magnam aliquam hoc loco corruptionem esse ob minus diligenter subtiliterque lecta verba, quibus indicare conatur quid tandem velit, non credo. Haud nego nonnumquam talia satis accurate proferri, cuius rei luculentum exemplum est quae Trin. 217 (1 : 2 : 180) Megaronides dicit, ubi pronuntiat quae lege constituta velit in homines loquaces et garrientes:

Quod si exquiratur usque ab stirpe auctoritas
Unde quidque auditum dicant: nisi id adpareat
Famigeratori res sit cum damno et malo:
Hoc ita si fiat, publico fiat bono;
Pauci sint faxim qui sciant quod nesciunt,
Occlusioremque habeant stultiloquentiam. —

Item autem saepius locos invenimus ubi personae, quae eiusmodi contemplationibus philosophicis utuntur, perspicuitate multum relicui faciunt. Cf. e. c. Menaech. 3 : 1; 4 : 2; Aulul. 3 : 5; Trinum. 4 : 3. [1]).

100. (1 : 3 : 20) Cum *Guyeto* legatur:

O mi Juppiter
Terréstris: te coépulo compellát tuus. [2]).

Coepulo coniectura est Guyeti; libri habent: coepulonus. Multa eius modi in *o* exeuntia vocabula, non solum ex Plauto, verum etiam ex aliis cum hoc *coepulo*

---

[1]) Haud acumine ingenii carent lectiones quas *Ladewicus* proponit Philol. 17 : 44 sqq.

[2]) R: uno tenore: *Terréstris coepulónus te adpellát tuus.*

conferri possunt: congerro, cocio, calcitro, verbero, capito, manduco, balatro, blatero, debilo, cerdo, erro, combibo, calo, caupo, edo, comedo, fallo, fullo, gero, gulo, latro, mando, mango, heluo, sublingio, praedo, verbero, petro (? Paraeus, Lex. Plaut.), praeco, longurio. tenebrio, cillo, epulo, morio, esurio, ludio (? Madv Liv. VII: 2), ambulo, anteambulo, gerro, subulo, appeto, agaso, vitupero, litterio, impuro (dub. lect.), labeo (labio), Fronto, saturio, ardelio: quae magnam partem mihi suppeditavit promotor clarissimus.

97 (1 : 3 : 17) Libri habent.

Quasi iuream esse ius decet collyricum.

Pro quibus Ritschelius dedit:

Quasi sisuram esse ius decet collyricum.

Dubito autem num ille vir eruditissimus illa coniectura multum profecerit, et multo potius velim:

Quasi viscidum esse ius decet collyricum.

104 (1 : 3 : 24). At edés: nam iam intus véntris fumant fócula.

Quid significat *ventris focula? Brixius* (in adnot. in Capt. 844): („*nam iam intus ventris fumant focula*" (Pers. l. l.), „focula significare videtur „Wărmemittel", d. i. „fomenta, nutrimenta (cf. Nonium pg. 10)." Eadem opinione Rostius esse videtur[1]). Haec explicatio mihi placere non potest:

[1]) *Rostius* neun Lustspiele des M. A. Plautus pg. 189: „Sollst essen: denn schon dampft zu Hause die Magenkur."

Editor *Guijeti* difficultatem declinat vertens: car tous les apprets fument déja sur les réchaux.

nimis artificiosa est. Cogitari posset de cibo aliquo, si poeta ex Graeco exemplo suo ad verbum γαστήρ transtulisset, cuius cibi saepius apud comicos Graecos mentio fit, ut Arist. Nubes vs. 409 ὀπτῶν γαστέρα τοῖς συγγενέσιν κ.τ.λ. cf. Equites 1179. Homero quoque hic cibus notus est: vide Od. 18 : 44 γαστέρες αἵδ' αἰγῶν κέατ' ἐν πυρί. κ.τ.λ· et 20 : 25 ὡς δ'ὅτε γαστέρ' ἀνὴρ πολέος πυρὸς αἰθομένοιο, ἐμπλείην κνίσης τε καὶ αἵματος, ἔνθα καὶ ἔνθα αἰόλλῃ κ.τ.λ.:

Una autem res huic explicationi repugnat: recti contextus causa nondum de uno genere certo ciborum verba faciunda erant Toxilo. Puto potius versum Captivorum, supra dictum, nobis viam indicare ad hunc versum emendandum, itaque legendum:

At edés: nam iam intus férvent fumant fócula.

Focula eodem sensu quo Capt. 844: vasa ad cibos frigefactos recalefacienda.— Talia asyndeta verborum cognatae significationis saepe apud Plautum occurrunt. Bacch. 246 (2 : 3 : 12). Vivet, valet. 407 (3 : 3 : 3) perdidit, pessumdedit. 931 (4 : 9 : 7) cepi expugnavi. Casin. 2 : 5 : 13 orat, obsecrat. Epid. 1 : 2 : 15 defatigor, differor. Men. 2 : 2 : 67 se adplicant, adglutinant. Mil. 2 : 1 : 59 adhortatur, iuvat. Trin. 285 (2 : 2 : 11) turbant, miscent. Truc. 2 : 1 : 40 Absterret, abigit, et multa alia.

108 (1 : 3 : 28). libri hunc versum exhibent:

S. Sapis multum ad genium. Tox. set ecquid meministi here.

Metri indicio aliquo vocabulo hic caremus quod alius aliter explere conatus est:

Ritschl. S. Sapis múltum ad genium. Tox. Sét ecquid *nam* meminísti, here.
Müller. S. Sapis multum ad genium. Tox. sed ecquid *id* meministi, here.

Puto autem *genium* non generali sensu intelligendum esse, verum Saturionem dicere velle Toxilum multum sapere ad genium ipsius (Saturionis). Legatur igitur:

S. Sapis múltum ad genium *meûm*.. Set ecquid meminísti, here.

121 (1 : 3 : 41) Lubído extemplo coéperest convívium.
122 (1 : 3 : 42). Tubúrcinari dé suo si quid domist.

Hi versus valde redolent stilum adulterinum: contextum turbant: praeterea versus turpes sunt, imprimis ista iteratio „*si quid domist*" ex versu 120. *Boxhorn* eos sic explicat: „Gnonam hanc non satis videntur „percepisse interpretes. Hoc vult: non bene parasitatur, „cui argentum est domi. Talis enim cum tuburcinari „possit de suo, aliis serviliter parasitandi non habet „necessitatem. Necessitas et domestica inopia facit para„sitos. Quo quis pauperior est eo plerumque melior est „parasitus" Explicationem Boxhornii multum antefero versibus librorum, sed dubito num versus satis ad verbum redditi sint. „Talis enim cum tuburcinari possit de suo" longe aliud quiddam est ac: „Lubido extemplo est" etc.

Puto hanc particulam multo luculentiorum Plautoque digniorem ambobus hisce verbis deletis sic legi:

120. Nihilí parasitus ést, argentum quói domist:

123. Cynica ésse e gente opórtet parasitúm probe. [1]) Fieri potuit ut *„coepere convivium"* et *„tuburcinari"* huc lapsae adnotationes fuerint versus 112 (1 : 3 : 32) ad verba *committere praelium* explicanda, ex quibus inde nescio quis commentator hos duos versus conflavit.

Tamen fieri quoque potuit ut v. 122 loco suo motus sit: tum collocandus esse mihi videtur post v. 126 („qui familiarem suam vitam oblectet modo"), ubi *modo* retinendum est, pro quo cur cum Guilielmo *domi* substituamus nunc nulla causa est, cum id ipsum vocabalum iam sequatur: qui v. 121 servatum velit, collocet post versum „tuburcinari —": meo autem iudicio sine dubio spurius habendus est: nullo enim loco plane aptus est.

137. (1 : 3 : 57). Sicut istic leno hau dum sex mensis Megaribus.
Huc est quom commigravit.

Si lectio vocabuli *sicut* integra est, vim causalem habeat opus est: Eadem vis *sicut* tribuitur Mil. 966 (4 : 1 : 27) („Quin tu illam iube aps te abire quo lubet: sicut soror eius huc gemina venit Ephesum et mater accersuntque eam"): item Epid. 272 (2 : 2 : 87) („Nunc occasiost faciundi, priusquam in urbem advenerit, sicut cras hic aderit: hodie haud venerit").

Nostro loco autem facile corrumpi potuit ex „scin ut."

---

[1]) Hunc versum scripsi ex coniectura *Dousae*, pro quibus habet *Ritschelius* :

Cynicum esse egentem oportet parasitum probe. (cf *Jani Dousae* Plaut. Explan. libri IV. pg. 460.)

160. (1 : 3 : 80). Dare débet: praebenda Aédiles locaverunt [1].

De correptione litterae *e* in vocabulo *locaverunt*, confer:

Bacch. 928 (4 : 9 : 4). Et mílle numero návium decumo ánno post subégerunt.

Mil. 117 (2 : 1 : 39). Ubi súmus provecti in áltum, sicut vóluerunt.

Most 271 (1 : 4 : 124). Quíbus anus domi súnt uxores, quaé nos dote méruerunt.

Poen. prol. 21. Diu quí domi otiósi dormierúnt, decet.
Item Mil. 1 : 1 : 62.

161. (1 : 3 : 81) Libri fere omnes habent:

Iam faxo hic aderunt. Sed ego horum [nc] nihil scio.

Metro cogente, ni fallor, *Ritschelius* sic transposuit:

Iam faxo hic aderunt. Set ego nihil horunc scio.

Non ordinem turbatum, verum vocabulum *scio* corruptum esse puto: ordine librorum servato legamus: *serio*.

Iam fáxo hic aderunt. Séd ego horum [nc] nihil sério.

174 (2 : 1 : 6) cum Bergkio sic legatur:

Ovis si ín ludum iret pótuisset fieri út probe litteras scíret, qui scribit (commentatio de Plautinis fabulis emendandis, in indice scholarum in universitate litteraria Fridericiania Halensi etc. 1868—1869) pg. 6: „*Ovis* „enim, quod scripsi, manifesto delitescit in libro„rum scriptura *cuis*, *quis*, *cuius*, ut reiicienda omnino „sit Gruteri coniectura *cucus*, quam probavit Ritschelius"

---

[1]) *Langen* pg. 284: *ea debet*, „wenn mann nicht vorzieht die Verse für nachplautinisch zu erklären."

Ovis saepius de homine simplici et fatuo dicitur. Cf. Bacch. 1121 (5 : 2 : 3): Ba. Quid hoc est negoti nam. amabo, quis ovés huc adegit? Ni. Ovis nos vocant pessumae. (ex rec. Fleckeisenii). Aristoph. nubes vs. 1202 (ex recensione Dindorfii) : ὄντες λίθοι, ἀριθμὸς, πρόβατ᾽ ἄλλως, κ. τ. λ

177 et 178 (2 : 1 : 9). Ritschelius ex A ita: (numerus est anapaesticus):

Amas pól misera: id tuus scatet animus.
Ego istuc pelagus tibi sit faciam.

Quos duos versiculos uno comprehensos B sic habet :

Amas pol misera: id tuus scatet animus, ego istuc placidum tibi
Ut sit faciam.

Igitur *pelagus* et *placidum* confusa esse videntur. Puto haec vocabula propter similitudinem litterarum alterum alterum ex loco suo movisse, et utrumque restituendum esse :

Amas pól misera: id tuus scátet animus:
Ego istúc placidum tibi pélagus (catal.)
Ut sít faciam. Lemn. Miser ést qui amat.
Soph. Certo ís quidem nihil est quí nihil amat.
Ei hómini quid opus vítast? (catal).

Quod attinet ad verba »pelagus placidum facere" Cf. Merc. 890 (5 : 2 : 49):

Eu. Potin ut animo sis tranquillo? Ch. Quid si autem animus fluctuat?
Eu. Ego tibi istunc in tranquillo et tuto sistam. ne time.

179 (2 : 1 : 11). Certo is quidem nihili est qui nil amat,

Pro *Certo* legatur *immo:* immo is quidem nihilist, qui nil amat. Cf. Asin: 616 (3: 3:26):

Le. O Líbane, ut miser [is] ést homo qui amát. Li. Immo hercle vero
Qui péndet multost míserior: Scio quí periclum féci.

187 (2:2:5). R. hos versus sic legit:

T. 'Equidem, si scis túte, quot hodie hábeas digitos ín manu,
'Egon dem pignus técum? P. Audacter sí lubidost pérdere.

Spengelius (T. Maccius Plautus. Kritik, Prosodie, Metrik) pg. 38 hos versus tractat et aliam lectionem proponit. Hactenus *Spengelio* assentior quod natura vocabuli *equidem* repugnet interrogationi: ceterum omnia recte se habent si plenius interpungimus post *manu:* huic versui ex praecedente addendum est *do:* verba versus sequentis „ego(n) dem pignus tecum?" interrogationem cum indignatione continent:

To. 'Equidem, si scis túte, quot habeas hódie digitos ín manu;
'Ego(n) dem pignus técum? Pa. Audacter sí lubidost pérdere.

Toxilus haec vult: tantum abest ut mihi persuadere possis te omnia meminisse ut ne pignus dare quidem tecum in hanc rem velim: tu autem tanta es stoliditate ut mihi persuasum sit, (et in hanc rem pignus tecum dare velim) te etiam nescire quot digitos habeas in manu. Tum Paegnium: si audes, pignus da mecum: verum tu perdes.

Dubitari potest num potius cum libris (praeter A) *eo* pro *ego* legendum sit (eo = in eam rem), sed nusquam apud Plautum repperi. [1])

194 (2 : 2 : 12). Néc subigi queántur unquam, ut pro eâ fide habeant íudicem.

Versus obscurissimus. R adnotat: „*indicem* Pistoris: quo non tollitur obscuritas sententiae." Versus tam misere corruptus, ut mihi quidem vix in integrum posse restitui videatur. Ni egregie fallor haec sententia esse debet huius versus et praecedentis: scio semper eos, qui hero suo fidem praestant impudicitiae accusari, neque eos unquam hero morem gerere posse, quin perversum (in malam partem) iudicium de ea fide fiat. Sententia, quae in tali fere versu continetur:

Néc sic obsequántur umquam ut próbe fidum habeant iúdicem.

197 (2 : 2 : 15). So: Césso ire ego quo míssa sum? Verisimillimum est nonnulla excidisse: germana forma fuisse potuit:

Césso ire ego quo míssa sum. Sed quís hic est quem astare video.

vel simile quid.

---

[1]) Spengelius: Tox. Non edepol scis. P. Da' hercle pignus, ni memini omnia et scio,
Equidem, si scis tute, quot hodie habeas digitos in manu.
T. Egon dem pignus tecum? P. Audacter si lubidost perdere.
Goetzius. (Acta Societ. Philol. Lips. Tom. VI : pg. 235) sic :
Equidem nescis tute quot hodie habeas digitos in manu.
Guyetus. T. Si quidem scis tute, hodie quot habeas digitos in manu :
Eo dem pignus tecum. P. Audacter, si lubido est perdere.

217 (2 : 2 : 35). Libri sic habent:

So. Eo ego hinc haud longe. Pae. Et quidem ego haud longe. So. quo ergo, scelus?

Versum vix integrum sic explere velim:

So. 'Eo ego hinc haud longe. Pae. 'Et quidem ego eo hinc haúd longe. So. Quo ergó, scelus?

Ritschelius paullo aliter legit:

So. 'Eo ego haut longe. Pae. 'Et quidem ego eo haut lónge. So. Quo ergo tu ís., scelus?

220 (2 : 2 : 38). Libri hanc lectionem praebent:

P. Itanest? S. Itanest? P. Mala's. S. Scelestu's. P. Decet me. S. Me quidem haud decet.

Facile intellegitur ultima verba clarum sensum non habere, quam ob rem alius aliam coniucturam dedit; legatur:

P. 'Itanest? S. Itanest? P. Mála's. S. Scelestu's. P. Décet me. S. Neque idem me háud decet.

Sic haud multum a librorum scriptura discrepamus. [1])

Versus 225, 226 et 227 (2 : 2 : 43—45) Ritschelius inter continuos trochaicos iambicos fecit. — C. F. W. Müller

---

[1]) R. P. Itanest? S. Itanest? P. Mala's S. Scelestu's P. Decet me. S. Me quidem item addecet.

Rostius auctore *Gronovio* opusc. pg. 264:

P. Itanest? S. Itanest? P. Mala es S. Sceleste. P. Me decet S. Me haud dedecet.

Guyet: P. Itanest? S Itanest? P Mala. S. Sceleste. P. Decet me. S. Me quur haud decet?

F. Leo (Lectiones Plautinae) altera sede posito *ne* vim affirmativam attribuit aeque atque eidem particulae v. 274. Igitur habet:

P Itanest? S. Itanest *cet*.

225 et 226 trochaicos, idque ni fallor iure, sic habet:

225. P. 'Ecquid habes? S. Ecquid tú? P. nihil equidem. S. Cédo manum ergo. P. Estne haéc manus?
226. S. 'Ubi illa altrast furtífica laeva? P. Dómi eccillam: huc nullam áttuli.

(Vide C. F. W. Müller. Plaut. Pros. pg. 424 et 296.) [1]).

Vs. 227 quoque ad trochaicos numeros revocandus est, verbis prioribus transpositis. Pro: *habes nescio quid: nescio quid habes.* Igitur:

227 S. Néscio quid habes. P. né me attrecta, súbigitatrix. S Sín te amo.

Eodem modo incipit versus trochaicus Mil. 2:2 11 (165).

Néscio quid male fáctum [a] nostra hic fámiliast, quantum áudio: (*Lorenz.*)

Item Trin: 623 (3 : 1 : 22) (*Brix.*)

225. Praeterea huius versus finem corruptum esse puto, cum verba „Estne haec manus," nullam sententiam praebeant, verum tale quid scribendum esse;

P'Ecquid habes? S. Ecquíd tu? P. Nihil equidém. S. Cedo manum ergo. P 'Em tibi.

Sophoclidisca poscente ut Paegnium manum sibi ostendat, is manum dextram ostendit, laeva, in qua tabellas tenet quas Toxilus ei Lemniseleni dandas (vs. 195) dedit, pone tergum habita: quam ob rem Soph. tabellis nondum visis, eum rogat: ubi illa altera est laeva?

239 sqq. (2 : 2 : 57 sqq). Hunc versum, in fine de-

[1]) Versum 266 item trochaicum de deccribit, A. Spengel, T. M. Plautus. Kritik Prosodie Metrik pg. 105.

pravatum, Ritschelius explet, addendo: [Edictumst mihi]; sequentes sic exhibet:

Ne hóc quoiquam homini edícerem, omnes múti ut loquerentúr prius.
P. Míhi quoque edictúmst magnopere, né quoiquam homini créderem.
'Omnes muti utí loquerentur príus hoc quam ego. S. At tu hóc face.

Goetzius hoc loco cogitat de dittographia, etiam propter verbum *edicere*, quod umquam adhiberi pro *eloqui*, vel *edictare* negat, qua de re assentitur *Langenius* (pg. 191). *Goetzius* hos versus sic restituere vult:

P. Quíd est quod metuas? S. 'Idem istuc quod tu. P. Díc ergo. S. At dic tú prius.
P. 'Edictúmst magnópere mihi, ne quoíquam hoc homini créderem.
'Omnes muti utí loquerentur príus hoc quam ego. S. at tu hóc face [1]).

Arridet quidem mihi haec Goetzii coniectura, verum una tantum res hanc amplecti prohibet: hac coniectura admissa amittimus plane illud „par pari respondere", quod in hac scena tam saepe invenimus, quodque alter alteri obiicit (vs. 223).

Praeterea puto levius medicamen inveniri posse atque minimis mutationibus adhibitis bonam sententiam sic praeberi:

Pa. Quíd est, quod metuas? Soph. 'Idem istuc quod tu. Pa. [Tú] dic ergo [míhi] quid est?

---

[1]) Goetz: Acta Societ. Philol. Lips. Tom. VI pg. 235.

SOPH. Ne hóc quoiquam homini (e)dícerem, omnes
múti ut(e)loquerentúr prius [1]).
Míhi edictumst magnópere. PA. Et mihi né quoiquam
homini créderem.
'Omnés muti utí loquerentur príus hoc, quam ego.—

243 (2 : 2 : 61) R. Fidé data credámus. P. Novi:
Omnés sunt lenae lévifidae.

Nihil prohibet quominus hunc versum aeque ac praecedentes in trochaicum metrum conferamus:

Fíde data credámus. P. Novi omnés sunt lenae lévifidae.

De correptione ultimae syllabae vocabuli *fide*, cf. *Mil.* vs. 1357. (4 : 8 : 59) ex recensione Lorenzii:

Dícant te mendácem nec verum ésse, fide nulla ésse te,

et adnotationem eiusdem in versum 920 eiusdem fabulae [2]).

244 (2 : 2 : 62). R. Neque típpulai lévius pondust
quám fides lenóniae.

Gronovius genitivum *tippulae* habet, quam formam item Festus Paulli p. 366 attulit (auctore Ritschelio); qua forma restituta versus trochaicus evadit:

Néque tippulae lévius pondust quám fides lenóniae.

Quod attinet ad significationem *tippulae* cf. Nonium p. 180 : 10. »Tippula: animal levissimum, quod aquas

---

1) *Langen*: ut eloquerentur: (*loqui* mit dem Inhalt der Rede als obi. jedoch mit Ausschluss der Nebenbedeuting der Mittheilung findet sich gegen neunzigmal.)

2) Cf. Müller Plaut. Prosodie. pg. 301 Item *Bücheler*. Decl. p. 49.

„non nando sed gradiendo transeat", et Festum. Paulli p. „366: Tippula: bestiolae genus sex pedes habentis, „sed tantae levitatis, ut super aquam currens non deci„dat." De longa paenultima „tippula" cf. *Vahlenum* (Joannis Vahleni in M. Terentii Varronis Saturarum Menippearum reliquias coniectanea. Lipsiae 1858) pg. 136. „Fr. VIII in vetustioribus editionibus male habitum „primus restituit ac numeros agnovit Scaliger in coniec„taneis p. 139: levis Tippula lymfων frigidos transit „lacus. Senarios descripsit: deerat enim *ut*, quod etiam „abest a Leidensi: quo addito integer septenarius prodit". Igitur Varronis versus legatur:

'Ut levìs tippúla lymphon frígidos transít lacus.

251 sqq (2 : 3 : 1 sqq) hoc modo describere velim

Iove opúlento et íncluto Ope gnáto suprémo (4 bacch.)
Validó viri poténti (2 bacch.)
Opés spes bonás copiás commodánti (4 bacch.)
Lubéns merito [dís] que vitulor, (trim. b. cat).
Quiá meo amico amíciter hanc cómmoditarunt cópiam; [1]) (oct. iamb.)
Danúnt [mi] argenti mútui ut [ego] egénti opem [meam] áfferam (oct. iamb.)

266. (2 : 3 : 12). *R.* Nam íd demum lepidúmst, triparcos, vétulos, avidos áridos.

Singulare metrum sine dubio Seyffertium impulit ut dederit:

---

[1]) Sic scripsi, quoniam „commoditatis copia" est abundantia non ferenda.

Nam id demum lepidumst triparcos homines vetulos *ardos* avidos.

Alius aliud medicamen adhibuit: Ritschl. omisit: *homines;* Guyet: *avidos.* — Eadem ratione *Klotzius* Aul. 2 : 4 : 18 *ardos* coniecit.

Sine dubio simplicissima et vera sanatio Ritschelii est. Quod attinet ad metrum partis posterioris huius versus, conferamus Stich. 5 : 4 : 8 (ex rec. Fl.)

Pro ópibus nostris sátis commodulumst núcibus fabulis fículis.

278. (2 : 4 : 7) R. S. 'Etiam dicis ubíst, venefice? P. Haúscio, inquam, ulmitriba tu.

R. ipse in adnotationibus scribit: *etiamedicis* BC. Puto in hoc *e* latere *ne.* Ita iambico metro sic legendum est:

S. Etiámne dicis ubíst venefice? P. Haúscio, inquam, ulmítriba tu? [1]).

Saepius illud *ne* post *etiam* invenimus apud Plautum in minacibus interrogationibus. vide Mostell. 925 et 926 (ex rec. Lorenzii).

Heús reclude: heus, Tránio, etiamne áperis? Theopp. Quae haec est fábula?

Adv. 'Etiamne aperis? Cállidamati nóstro advorsum vénimus.

Poen. 1 : 3 : 22 (439 ex rec. Ussingii):

Ag. Quantum Acherunti est mortuorum. Milph. Etiamne abis?

---

[1]) Paullo liberius *Bergkius* in phil. Gotting. XVII.

S. Etiam dicís [mi] ulmitriba tú? P. ubi sit, venéfice, nesció.

Rud. 467 (2 : 5 : 10). Ubi tú's? etiamne hanc úrnam acceptura's? ubi's?

284 (2 : 4 : 13) Cum Müllero *attingit* pro *attinet* scribere velim (pg. 64): praeterea *te* deleatur;

SAG. Vidéo ego: iam incubitátus es. P. Ita súm: quid id ad te attíngit? [1])

Cf. Merc. vs. 32: Quae nihil attingunt ad rem, nec sunt usui.

292 sqq. (2 : 4 : 21) libri sic habent:

SAG. Di deae me omnes perdant,
Nisi te hodie, si prehendero, defigam in terram colaphis.
P. Amicus sum: eveniant volo tibi quae optas, atque id fiat.
Tu me defigas, te cruci ipsum propediem affigent alii.

R. autem hos sic describit:

SAG. Di deâeque me omnes pérdant,
Nisi te hódie, si prehéndero, defígam in terram cólaphis.
P. Amícus sum: eveniánt volo tibi quae óptas. SAG. At qui id fíat
Tun mé defigas? P. Te cruci ipsum adfígent propediem áliei.

Spengelius hunc locum multo illustriorem reddidit, libro-

---

[1]) R. Video égo te: iam incubitátus es. P. ita súm: quid autem id ád te?

Brix : adnot. in Men, 722. P. ita si sum, numquid id ad te?

Dousa haud multam lucem affert scribens:

SA: Video ego te: nam intercutitus es. (Plaut. explan pg. 472). (Sive etiam): impudicatus es.

rum scripturam servans, transpositis autem vs. 293 et 294:

S. Di deaeque me omnes perdant
P. Amícus sum: eveniánt volo tibi quae óptas. S. atque id fíat.
Nisi te hódie si prehéndero, defígam in terram cólaphis.
P. Tun mé defigas? té cruci ipsum adfígent propediem álii [1]).

307. (2 : 5 : 6) Subníxis alis me ínferam atque amicíbor glorióse.

Alae nituntur sc. manibus: sublatis (subductis) brachiis manus in lateribus sive coxis ponuntur, unde brachia utrimque tanquam ansae eminent. *Subnixis* recte se habet.

329 sqq. (III : 1 : 1 sqq). *Ritschl.* sic habet:

Quae rés bene vortat mi ét tibi et ventrí meo,
Perénnitatemque ádeo huic perpetuét cibi,

Libri autem praeter Ambros. habent:

Perennitatisque adeo huic perpetuo cibo.

Ambrosianus Ritschelio auctore pro *perennitatisque: perennitatsique.* Puto in hac scriptura *perennitatique* latere, et cetera in libris recte se habere. Scribamus ergo:

Perénnitatique ádeo huic perpetuó cibo.

---

[1]) Spengel. (Kritik, pros. metr. pg. 43) adnotat: „Sieht man sich nun nach den Handschriften um, so ist man erstaunt, eben diese Ordnung der Verse als die Uberlieferung des Ambrosianus zu finden, deren Werth man, durch die vulgata irre geführt, verkannte und unberücksichtigt liess. Noch ist eine ganz ähnliche Stelle zu vergleichen, wo auch bei einer Betheuerung Unterbrechung eintritt. Pseud. 943:
Ita mé di ament — S. Ita non facient: etc Auch. Pseud. 37.

Dativus *perennitati* dependet a *bene vortat*, et dativus *perpetuo cibo* a *perennitati* [1]). *Huic* hoc loco = *mihi*. — Video *Geppertium* eadem esse sententia quod attinet ad scripturam, verum explicatio eius quodammodo a supra proposita differt [2]). *Bücheler* Rhein. mus. 14, 322:

Quae res bene vortat mi et tibi et ventri meo,
Perennitas sitque adeo huic perpetuo cibo.

353 sqq. (3 : 1 : 25). Non ego inimicitias omnis pluris aestumo,
Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi.

Bothius et *Ritschelius* transponunt; non ego omnis inimicitias.

Guyetus: non inimicitias omneis pluris aestumo (deleto: *ego*).

Puto cum *Spengelio* (Kritik. Pros. Metr. pg. 31) legendum esse:

Non égo inimicos ómnis pluris aéstumo.

praesertim cum virgo (vs. 351) item de *inimicis* locuta sit: „nam inimíci famam nón ita, ut natast, ferunt.'' Maior contemptio certo cogitari nonpotest in ore parasiti inimicos suos cum mensa inani comparantis!

Praeterea *nunc* (v. 354) corruptum. Sententia postulat *unquam*, *semel* aut simile quid.

---

[1]) Verte: „en voor 't eeuwige leven voor (= van) de eeuwigdurende kost voor dezen. (= voor mij)."

[2]) Geppert Plautinische studien pg. 82: „Man wird die Worte perpetuo cibo kaum für etwas andres halten können, als für eine Apposition zu dem Vorhergehenden.

Dicit in Ambrosiano scriptum esse: „*perennitateique*.

385 sqq. (III : 1 : 57 sqq) apud R. sic discripti sunt:

Tace stúlta. Non tu núnc hominum morés vides.
Quoiúsmodi hic cum fáma fácile núbitur?
Dum dós est, nullum vítium vitio vórtitur [1]).

Puto cum Acidalio signum interrogationis non post *nubitur* verum post *vides* esse ponendum. Pro *quoiusmodi* (quoivismodi C) scribe: *cuicuimodi*, quo facto omnia recte se habent:

Tace stúlta. Non tu núnc hominum morés vides?
Cuicuímodi hic cum fáma facile núbitur! [2])
Dum dós sit, nullum vítium vitio vórtitur.

394 (3 : 1 : 66): Dabúntur dotis tibi índe sescentí logei. Fieri potuit ut hoc loco Homeri poetae in mentem venerit, quem Aelianus filiae suae carmina Cypria dotem dedisse docet: λέγεται δὲ κἀκεῖνο πρὸς τούτοις, ὅτι ἄρα ἀπορῶν ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα, ἔδωκεν αὐτῇ προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ κύπρια. καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος. [3])

Distinguunter facetiae Atticae a Siculis; Siculi erant dicacissimi (cf Cic Ver. IV, 95) sed tamen Atticis inferiores. Ceterum ne videantur inepte hoc loco libri illi arcessiti, animadvertendum est filiam doctrinam suam prae se ferre tam sapientibus illis monitis ad patrem dictis, quam paulo post, ubi de urbium salute et prosperitate disputat. Crediderim poetam Graecum ludibrio habuisse mulierem

---

[1]) R. habet *est* ex A: omnes alii libri: *sit*. Geppert autem Plaut St.) 2 pg. 82 monet A quoque *sit* habere.

[2]) Guyet; Cuiusvis modi hic cum fama facile nubitur. Cf. Bacch 400 (ex rec. Fl.)

[3]) Cl. Aeliani varia historia (ex rec. R Hercheri) IX: 15. pg. 100.

quae intempestivo studio philosophiae operam daret.

400 (3 : 2 : 1). Schmitzius, (de actuum in plautinis fabulis descriptione, dissertatio philol. Bonnae 1852. pg. 17 et 25) recte vidit actum quartum inde ab hoc loco incipiendum esse. Ratione habita verborum, quae ad hanc rem pertinent, *Ritschelii* [1]) sic disputat: „Vitiosum in hac fabula (Persa) est quarti actus initium. „Nam postquam III : 3 Toxilus lenoni argentum solvit „pro amica sua, iubet eum statim per hortum in suam „domum transmittere puellam, et cunctantem his verbis impellit: „dum stas, reditum oportuit", quibus una „dicere voluisse mihi videtur se eius reditum exspectaturum. Nulla est causa, cur hic Toxilum quoque „scenam relinquere putemus; immo eum remansisse ex „verbis IV : 3 : 14—21 consequitur; certo enim, si „abiisset, ipse revisisset, num mandata exsecutus esset „leno, neque opus habuisset, tot verbis id eum interrogare. „Est igitur incipiendus quartus actus inde a III : 2 etc."

429 sqq. (3 : 3 : 24) Eodém mihi pretio sál praehibetur quó tibi.
Nisi me haéc defendet, númquam delingét salem.

[1]) Ritschelius in novi Musei Rhen. philol. vol. IV: 607. „Im „Allgemeinen (denn besondere Fälle können besondere Modificationen „erheischen) ist ein vernunftiges Princip offenbar dies, dass neue „Namenüberschriften da gemacht werden, wo neue Personen auf„treten, dagegen keine, wo nur welche abtreten, aber zurückblei„bende (oder ein zurückbleibender) zu sprechen fortfahren. — Dass „aber, wo die Personen ganz und gar wechseln, immer, wo sie ganz „dieselben bleiben, niemals eine neue Scene beginne, sollte man für „völlig ausgemacht halten."

Si haec scriptura stabilienda est, eiusmodi sententia sit opus est: „Nihilo magis ego beneficium accipio cur mihi sit tacendum quam tu." In superiore versu vis potior est in *referundae;* habeo linguam ad *referundam* tantum gratiam aptam, nemini benignus sum, nisi qui prius mihi gratum fecit. V. 430 sententia: nisi sine metu obloquor, deerit mihi unde vivam. *Limiers* doctiorem quam clariorem versionem dedit [1]) Nihil mutare audeo, etsi, ut mea quidem fert opinio, sententia multo simplicior liquidiorque foret si libri pro *mihi* praeberent: *ei* (sc. linguae). Tum haec sententia esset: linguam meam servi loco habeo, ut tu servus es heri tui; ego autem linguae meae salem non praebeo, nisi mihi serviat, aeque ac tuus herus tibi salem non praebet nisi hero tuo servias.

441 (3 : 3 : 36) sqq. Metuo ne posteriores versus huius scenae vehementer turbati sint. Vix expedias quo modo Toxilus dicere possit „fortasse metuis in manum concredere". Si Dordalus, etiam post solutam pecuniam, denuo gravatur dubitatque num pecunia proba sit, secundum naturam rerum foret ut Toxilus aut denuo ei convitia ingereret aut tribus verbis ei hanc sollicitudinem demere conaretur. Puto hunc versum alicunde huc migravisse aut a nescio quo fabrefactum esse ut locum praeberet duobus proximis, 442 et 443

---

[1]) *Limiers.* Les oeuvres de Plaute en latin et en françois, Amsterdam 1719. VII: 352. „Je vis au même prix que toi, c'est à dire, de même que tu sers ton maître pour vivre, je sers aussi tous ceux qui veulent „m'emploier, et ma langue se prête ou à la flaterie ou aux injures, selon le profit qui m'en peut revenir".

qui verisimiliter dittographiam continent versuum 435 et 436: (item *Goetz* l.l.) Iam *Ritschl.* in editione sua (pag. 61) „aut sic vel similiter restituendi, aut de multo gravioribus turbis cogitandum." Praeterea mihi non patet quae causa sit cur omnia tam occulte fiant opus sit: sed despero quoddam medicamen afferre. Versibus 440 et 441 *Schenkl.* alium locum dedit. [1]). De illo *angiporto*

[1]) H. Schenkl Plautinische studien. Wien. 1881. — pg. 681 sqq. versum 440 quoque inter spurios habet. Tum „concredere alqd. alcui. heisst Iemandem eine Sache anvertrauen, die man zur Zeit wieder in unveränderten Gestalt zurück erhält, kann also von dem Verhältnisse des Gläubigers zum Schuldner nicht gesagt werden: in manum aber ist hier nicht eine blosse Verstärkung des Ausdrückes (sonst müsste es wohl in manus heissen), sondern bedeutet wörtlich die Manus, unter der man in republikanischer zeit die rechtliche Gewalt des paterfamilias über die in seiner potestas stehenden freigeborenen Frauen verstand. (Cf. Liv: 34: 3: 11, 7: 11)." Igitur hos versus ad scaenam pertinere vult, in qua Toxilus parasito persuadet, ut filiam sibi utendam det. Postremo illam scaenam sic disponit et explet:

130. Tox. Quia fórma lepida et líberalist. Sat: Rés itast.
183. Tox. Si itást, hoc tu mihi réperire argentúm potes.
134. Sat. Cupio hércle. Tox. Tum tu mé sine illam véndere.
135. Sat. Tun íllam vendas? Tox: 'Immo alium adlegávero,
136. Qui véndat, qui esse sé peregrinum praédicet:
[Tunc tu ípse rursus líberabis fíliam.]
440. Sat. Non hércle, quoi nunc hóc dem spectandúm scio.
441. Tox. Fortásse metuis ín manum [eam] concrédere?
[Nullúmst periclum, séd iam hoc unum díc mihi:]
131. Hic léno neque te nóvit, neque gnatám tuam?
132. Sat. Me ut quísquam norit, nísi ille qui praebét cibum.

„Von diesem Verse an beginnt wieder eine Lücke, in der eine „Bemerkung des Toxilus, wie: diesem also wollen wir deine Tochter „zum Scheine verkaufen, und ihm sie wieder abnehmen; Alles wird „aufs Beste gelingen, da der Leno hier noch fremd ist gestanden „haben muss."

et *horto* item mentio fit vs 678 quo loco Sagaristio clam se domum Toxili conferre iubetur, ibique multo melius in rem quadrant: hoc loco nihil ad rem pertinent.

465 (4 : 2 : 4). Libri: T. Sed satin meditati estis? SAG: Tragici et comici *cet.*

Hunc versum non integrum esse metrum probat. Legamus:

T. Sed sátin [vos] meditati éstis? SAG. Tragici et cómici *cet.*

486. *Ritschelius* testatur nonnullas litteras a se inventas esse post vs. 485, quas interpretatus est: „obsecro". [1]) Tum dicit „Deperditi versus exitum ut *obsecro* illud „habeam, proxima Dordali verba me movent: nam „nullo dum verbo, liberam esse, significavit." Rectissime! Ut Dordalus dicere possit: „i ad forum" *etc.* nonnulla praecedere debent, quibus Dordalus eam liberam esse asseveret, Toxilus autem nondum quietus denuo eum aliquid roget.

489 (4 : 3 : 18) Inde ab hoc loco in versuum descriptione valde discrepare incipiunt A. et B. *Ritschl.* inusitatiorem metrorum varietatem ex A sequi non dubitavit (vide adnot. eius pg. 69). Müller ad vs. 495 libros metro carere disputat [2]). Liceat mihi prodere quae conatus sum ad maiorem metrorum ordinem restituendum:

---

[1]) Geppert (Pl. Stud. 2: 82) ibi fuisse putat: *poliad*, unde hunc versum scribit:

D. Pol i ad forum, e praetore exquire, si quidem credere mihi nevis.

[2]) Müller Plaut. pros. pg. 211: „Anap. sind auch die vorhergehenden und folgenden Verse bis auf 495, der in der Uberlieferung gar kein Metrum hat, sondern lückenhaft ist, wie auch die Construction zeigt", u. s. w.

D. Líbera inquamst. écquid audis? T. At tibi di bene fáciant omnes.
Númquam enim posthac tíbi nec tuorum quoíquam, quod nolís, volam.
D. 'Abi, ne iura: sátis credo. T. Ubi nunc túa libértast? D. Apud te. T. Ain
'Apud me est? D. Aio inquam: ápud te est, inquam. T. 'Ita me di ament, út ob istam rem [1])
Tíbi multa instant á me bona; namque ést res quaedam quam óccultabam [2])
Tíbi dicere: nunc eâm narrabo, únde tu pergránde lucrum [3]).
Fácias: faciam ut méi memineris, Dórdale, dum vitám vivas [4]).
D. Bénedictis tuís benefacta aurés meae auxilium expóstulant.
T. Túum promeritumst mérito ut faciam et út me facturúm scias [5]).
Hás tabellas téne pellege. D. Quid haéc ad me? T. Immo ad te ádtinent [6]).
'Et tua refért. Nam e Persia ádlatae mihí sunt istaèc [7]).
'A meo domino. D. Quándo? T. Hau dudum. D. Quíd istaec narrant? T. Pércunctare.
'Ex ipsis. Ipsaé tibi narrábunt. D. Cedo sané mihi.

---

[1]) Hiatur post *inquam*. [2]) *Tibi multa instant a me bona* transposui; libri habent: *Tibi multa bona instant a me*; *namque* scripsi pro quo libri habent: *nam*. [3]) Hiatur post *narrabo*. [4]) Inserui: *Dordale*. [5]) *ut me facturum scias* scripsi, pro quo libri *ut me scias esse facturum*. [6]) *Has tabellas tene pellege* transposui: libri: *tabellas tene has pellege*. *Quid haec ad me* pro *hae quid ad me*. [7]) *mihi* scripsi *Ritschelio* auctore.

T. 'At clare recitáto. D. Tace dum péllego. T. Haud ego múttiam [1].

515 (4 : 3 : 46). *Ritschelius* hunc versum inter continuos trochaicos sic legit:

Nequíquam tibi Fortúna faculam lúcrifica adlucére volt: ibique adnotat: »iambicum convertere in trochaicum nescii." Verum doctissimus vir ipse nobiscum communicat A habere *nequequam*.

Tum omnes libri habent *lucrificam* pro *lucrifica*. Hac lectione admissa omnia optime se habent, neque quidquam mutandum:

Néque quam tibi Fortúna faculam lúcrificam adlucére volt.

Neque coniungendum est cum *scis* e versu praecedente: *quam lucrificam .... volt* est quaestio indirecta. [2])

530. (4 : 3 : 61). Ritschelius in editione sua dedit:

T. Iam híc credo aderit: árcessivit íllam a navi. D. Níl mi opust.

Equidem praesens perfecto, multum antefero et lego cum ed. Gronov.

T. Iam híc credo aderit: íllam arcessit á navi. D. Nihil míhi opus est:

ubi tantum metro postulante *illam arcessit* transposui.

531. (4 : 3 : 62). Ed. Gronov.: quamobrem ego argentum numerem foras?

---

[1]) *Haud ego muttiam* ex coniectura mea scripsi, pro quo libri habent: *haud verbum faciam*.

[2]) Verte: »noch hoe een winstgevenden fakkel de fortuin voor u wenscht te ontsteken.

Ritschelius edidit: quamobrem numerem ego argentum foras?

Scribendum puto: quamobrem ego argentum enumerem foras?

534. (4 : 3 : 65). Librorum scriptura *Quid metuis? metuo hercle vero* mutata, R. sic:

'Ecquid metuis? Do. Hércle vero: sénsi ego iam complúriens.

Seyffertius interpunctione modo mutata versum integrum reddidit:

Quíd? metuis? Do. metuo hércle vero: sénsi ego iam complúriens. [1])

535. (4 : 3 : 66). Neque mi haud imperito eveniet tali ut in luto haeream.

Pro *m. h. imperito* legendum puto: *mihi improviso.*

Post 537 (4 : 3 : 68). R. putat versiculum intercidisse, quo referretur in proximo *facerem*, velut talem:

Nam íccirco equidem té scire hanc rem vólui de ista vírgine.

Perspicuum autem est posteriorem partem 537 corruptam esse: neque enim *fácio* ex A, neque *refero* ex reliquis libris hic satis placet.

---

[1]) Seyffert St. Plaut. pg. 18: „Interpunctio, non omnium librorum scriptura etiam Nonii testimonio confirmata mutanda est Pers 534. Conicientem (Ritschelium) „*hercle vero*" fugit neque umquam a Plauto aut Terentio in responsis nudum *hercle vero* usurpari, sed semper coniunctum cum aliqua vocula, ut: *ego h. v., ita. h. v., metuo h. v.*

Parva autem mutatione adhibita nullo additamento opus esse credo. Itaque duos versus uno tenore sic legamus:

T. Mêa quidem nihil ístuc refert: tui égi lucri grátia,
'Ut tibi recte cónciliandi prímo facerem cópiam.

546 (4 : 3 : 76). Non omittenda est sagacissima coniectura *Bergkii:* [1])

Nisi quia specie haec quidem edepol liberalist, quisquis est.

ubi libri habent: nisi qui aspeci (B), aspexi (reliqui). Idem fere Luchsius Herm. 13 : 499 : nisi quia specie quidem *cet.*

559 et 560 (4 : 4 : 10 et 11). Ritschl. hos versus sic ex reliquiis in A concinnavit:

Haéc unde aberunt, [sána et salva] sát erit sem [per cívitas;]
'Ubi aderúnt, rebús servandis céntuplex murús parumst.

Geppertius autem (2 : 86) dicit: „finem versus fuisse „*murosateritsimplici* iam Studemund vidit". Hanc scripturam amplexus non dubito versum 559 sic explere, collatis 553, 554 et 560:

559. Haéc unde aberunt [úrbs moenita] múro sat erit símplici,

tum 560 sic legatur:

---

[1]) Bergkii commentatio de Plaut. fab. emendandis (in Indice Scholarum in Universitate Halensi e. q. s. 1858 p. VII.

560. 'Ubi aderunt centúmplex murus rébus servandís parumst. [1])

563 (4 : 4 : 14) D. Vérba quidem haud indócte fecit. T. 'Ex tuo inquam usúst: eme hanc.
Pro *quidem* lege *equidem* propter vitiosam dactyli divisionem: ea mutatio alibi ab aliis facta est.

608 sqq. (4 : 4 : 56 sqq). Non omnino cum *Ritschelii* distributione consentiens proxima sic distributa et intellecta velim.

608 Tox. Cúrato ut praedáti pulcre ad cástra convortámini.

Haec verba Toxilus pressis labris ad Sagaristionem et virginem.

Tum vs 610. Tox. clara voce ad Sagaristionem: *concede istuc: iam ego illam adducam.* Toxilus Sagaristionem paullum decedere iubet, quasi sic leno liberius cum virgine conloqui posset: ob eandem causam ipse virginem ad lenonem ducet (ne quid interea Sagaristio et virgo inter se componere possint): cui *Sagaristio* respondet: *Age ut rem ésse in nostram putas.* Sequatur 609 [2])

---

[1]) In *Oratione latina habenda a* F. H. Cunz. *d. II m. Augusti A.* 1862 *in Universitate Fridericiana Halis* pg. 6, orator scriptura Cod. Ambros. prolata, haec addit: „verum quod Ritschelius Bothio duce contra „omnium librorum auctoritatem verba traiecit, parum est verisimile. „In promtu est facillima medicina:

'Ubi ea aberunt, centúmplex murus rébus servandís parumst. „Pronomen *ea* quum numerorum legi haudquaquam adversetur, „equidem servandum censeo." Ego *ea* amovi. Videtur per vitium typographicum Cunz habere: *aberunt* pro *aderunt*.

[2]) R. 609 et 610 inverso ordine dedit.

Virgo ad Sagaristionem: *Fac dum .... taceas.* Virgo aut Sagar.: *curabo ut voles*[1]).

Vs 609 denuo pressa voce dictus est. Inde a versu 611, omnia clara voce dicuntur. *Sequere me* (Toxilus ad virginem) *adduco hanc* etc. (ad·lenonem). Virgine allata Toxilus ad Sagaristionem (pseudo-hospitem suum) redit, quo facto leno ab eo petit ut sibi virginem interroganti adsit: Toxilo neganti dicentique se hospiti operam dare debere Sagaristio veniam dat ut ad lenonem se conferat, a quo dimissus lenoni operam suam pollicetur.

632 sqq. (4 : 4 : 80 sqq). T. Haéc erit tibi faústa meretrix : nátast in calidó loco,
'Ubi rerum omniúm bonarum cópïast, scitíssume
Táctust leno, quí rogarat, úbi nata esset, díceret.
Lépide lusit.

Vs 634 mirifice interpolatorem olet, qui versum faceret quo referretur *scitissime.* Multo melius versu isto languidissimo deleto sic legemus:

T. Haéc erit tibi faústa meretrix: nátast in calidó loco,

---

[1]) Tantum haec verba A profert. Incertissima quidem res est talem versum explere: nihilosecius id egi ut scriberem quae me iudice connexus desiderat:

V. Fác, dum huic operam dó, tu interibi táceas. Curabo út voles.

Quod attinet ad voc. *interibi,* rationem habui animadversionis Ritschelii ad Glossarium Plautinum i. v. *interibi* (R. opuscula Vol II. pg. 266): „*interibi* e Persa excerptum vix posse dubitari videtur quin „aliquo loco interciderit inter v. 588 et 677 huius fabulae; quando „parum credibile est spectare illud, versuum ordine prorsus inverso „vel neglecto ad I: 3: 88 (165)."

Potestne fieri ut hic locus ille „aliquis locus" fuerit?

'Ubi rerum omniúm bonarum cópiast. Scitíssime Lépide lusit.

Scitissime eandem exclamationis vim habet atque *sapienter* vs. 639.

648 (4 : 4 : 96) D. Quoius modi is in populo habitus est? Vi. Nemo quisquam acceptior.

Metro indicante hic versus integer non est. Legatur:

D. Quóiusmodi is in pópulost habitus? Vi. Némo quisquam accéptior.

Weidnerius: „Quoiusmodi is domi in populo". Nec hoc necessarium nec quod *Ritschelius* dedit, qui post *is* inseruit: *dic.*

662 (4 : 4 : 100) Lectio *Saraceni* et *Acidalii* haec est:

Sag. Faciam ita ut te velle video: ut emas, habe tibi centum minis.

Lege: Fáciam ita ut te vélle video: hábe tibi centúm minis. omissis verbis „ut emas" ut iam Bothius vidit, quae verba prorsus abundant.

672 (4 : 4 : 121) in fine: Abeo atque argentum adfero. Lego cum Acidalio: *ecfero*, ut in versu spurio 4 : 4 : 116.

683 (4 : 6 : 1) Probati hic argenti sunt sexaginta minae. Legendum puto: Probáti argenti hic súnt sexagintá minae

nisi cum A legere malueris: Probae hic argenti *cet.*

700 (4 : 6 : 18). Qui versus in antiquioribus non

inveniebatur, hunc *Lambinus* ex „uno veteri codice" inseruit:

Do. Sed scíre velimus, quód tibi nomén siet.
To. Quid áttinet nos scíre? Sa. Ausculta ergo, út scias.

Si *Lambino* fides habenda eaque scriptura stabilienda est, personae utique mutentur et sic legatur:

Tox. Sed scíre velimus, quód tibi nomén siet.
Dord. Quid áttinet nos scíre? Sa. Ausculta ergo, út scias.

Toxilus enim in hac scena nil festinat: rogat (vs. 693) Sagaristionem: „Quid tam properas?" Deinde colloquium prolatat (697): „Atque edepol tu me nunc commonuisti haut male" *cet.*. Lenonis autem est post emptionem factam nihil amplius habere quod scire cupiat, quam ob rem „Quid" inquit, „attinet nos scire?" Verum Sagaristio qui amplius lenonem ludibrio habere cupit nil curat lenonis verba, illamque nominum seriem proferre incipit. *Ritschelius* autem testatur se longe alium versum in A invenisse: QUODESTTIBINOMEN I· · · · · QUODTOTIN — — Hunc versum lacunosum magis sententiae quam litteris satisfaciens, sic explevit:

Do. Quod ést tibi nomen? Sa. Nómen quor tu quáeritas?

nec quisquam, opinor, secundum has reliquias verborum locum restituet. Quapropter nunc quidem praestat *Lambinum* sequi, cuius testimonium de „vetere codice" non parvi faciendum est, ut apparet in var. lect. ad IV: 4:70.

720 et 721 (4:7:9, 10) R. sic:

nám te sensi sédulo

Mihi dáre bonam operam. Tox. Tíbine ego? immo sérvolae [1])

Servolae est ex coniectura Ritschelii: ipse autem adnotat: dubitanter. Haec dubitatio rectissima est, neque hanc coniecturam defendere ausim. Libri (praeter A) habent *servii*. A meliorem viam nobis indicat; legitur enim ibi *immo . . . . ulo*. — IMMO facillime corrumpi potuit ex NIMIO: praeterea conicio ante *ulo* excidisse *sed*; igitur: *nimio sedulo*. Illud *sedulo* facile ex ceteris libris elabi potuit propter *sedulo* ex versu praecedente. Itaque sic hos versus legamus:

Nám te sensi sédulo
Mihi dáre bonam operam. Tox. Tíbine ego? nimio sédulo. [2])

740. (4 : 9 : 3). Allitterationis recuperandae causa *Schoellius* hoc loco reponere vult: „Ei, Pérsa me *persúm* dedit", quod vocabulum scriptura est codicis C (Truc. 1 : 1 : 15). Vide *Schoellii* Analecta Plautina Lipsiae (1877). pg. 45. — Operae pretium est animadvertere *Scaligerum* quoque hoc loco allitterationem restituisse, alio autem modo. Voluit: *Pessa* „ut Sassina, Sarsina, Assum, Arsum."

778. (5 : 2 : 1) sqq. D. Qui súnt, qui erunt quiqué fuerunt, quiqué futuri sunt pósthac.
Solús ego omnibus antideo facile, misérrimus hominum ut vívam.
Perii, ínterii, pessúmus hic mihi dies hódie inluxit córruptor.

---

[1]) *Rost.* opusc. pg. 180: Tibi ego? imo mihi servii.

[2]) Verte: ja, maar al te ijverig (meer dan je eigenlijk verdiendet).

Puto alacritatem initii scaenae huius multum augeri, si duos versus (778 et 779) delemus, qui ex Bacchidibus 1087 et 1089 huc translati esse mihi videntur[1]). Tum statim scaena incipit: Perii, interii *cet.* — Iisdem verbis Euclio senex (Aul. 4 : 9 : 1) in scaenam procedit postquam thesaurum suum interceptum esse animadvertit. Praeterea hanc scenam uno tenore usque ad 796 trochaicôs legi velim. Vs 780—785 *Reizius* trochaicos descripsit 785—788 et 790—796 item *Ritschelius.* 789 et 790 item O. Seijffert[2]) (Quaestionum metricarum particula: de bacchiacorum versuum usu Plautino. Dissert. inaug. Berolini 1864), metro bacchiaco repudiato legem probans „ut tetrameter bacch. ac. unum minimum „purum bacchium (a quo tamen solutiones non omnino „alienae sunt) continere debeat" vide pg. 15 et 18. — *Spengelius* eos anapaesticos descripsit.

782 (5 : 2 : 5) Sine ulla librorum mutatione lego:
Véhiclum argenti míser eieci, amísi, neque quam ob rem éieci habeo.

783 (5 : 2 : 6) in libris sic legitur:

---

[1]) Bacchidum versus hi sunt (ex rec. *Fleckeisenii*):
Ni. Quiquómque [ubi] ubique sunt, quí fuerunt quiqué futuri sunt pósthac.
Solús ego omnis longe ántideo stultítia et moribus índoctis.

[2]) Víde hoc: quae haec fabulást? pol hic quidem pótant: aggrediár. o bone vir,
Sálveto, et tu bóna liberta. T. Dórdalus hic quidemst. S. Quín iube adire.

Qui illum Persam atque omnis Persas atque etiam omnis personas.

Dordalo reputanti aerumnas sibi inlatas et cum exsecratione homines nominanti qui illarum sint auctores verisimillimum est non solum Persae et omnium Persarum, verum imprimis istius virginis in mentem venisse: quamobrem coniicio versum in fine mutilum a nescio quo commentatore vocabulo *personas* expletum esse, veram autem scripturam hanc fuisse:

Qui íllum Persam atque ómnes Persas átque etiam omnes Pérsidas.

797 sqq. (5 : 2 : 19 qq): Ut versuum horum initia cum libris conspirent aliquot verba omittenda sunt, quae uncinis inclusi:

To. Iúrgium [hinc] auférás, si sapias. Do. 'At bona liberta, haéc scivisti [1])
'Et me cela[vi]stí. Lem. Stultitiast, quoí bene esse licét [eum] praevorti
Lítibus: postérius istaec te mágis par agerest. Do. 'Uritur cor [mihi].
To. Da ílli cantharum: éxtingue ignem, sí cor uritúr [caput] ne ardescat.
Do. Lúdos [me] facitis [intellego]. To. Vín cinaedum nôvum tibi dari, Paégnium?

Sequuntur versus bacchiaci tres:

Quin élude ut solés, quando líber locúst hic.

---

[1]) *Hinc* iam *Bothius* delevit.

(Hui) babaé! basilicé te intulísti et facéte. (*Hui* extra metrum).

Pa. Decét me facétum esse, et húnc inridére *cet.*

quorum in primo *soles* pro una syllaba est; nam si hoc in iambicis admittitur ut *iambicum* sit pro thesi aut arsi iambi, multo magis in bacchiacis: versus autem item metro cretico legi potest.

852 — ad finem. (5 : 2 : 70 — finem). Hos sex versus R. trochaicos praeter 854 et 855 descripsit. Hi quoque, ni fallor, sic trochaici restituendi sunt:

854 To. Sátis iam sumpsimús supplici. Do. [Ego] fáteor, manus vobís dano. [1])

Alter versus trochaicus evadit *furca* pro *furcis* scribenti: praeterea deleatur *intro*, quod hoc loco alienum est:

855 To. Póst dabis sub fúrca abi in crucem Do. 'An parum hic exércitum *cet* [2]).

---

[1]) *Satis iam* item versum trochaicum incipit Capt. V : 1 : 8 et 9 (925 et 926); *dono* (libri *do*) pro qua forma item *dato* satisfaceret, saepissime apud Plautum invenitur; *ego* inserui.

[2]) Cum singulari *furca* cf: Cas. 2 : 6 : 37, 2 : 8 : 2.

II. De repugnantiis in Persa.

Antequam in fine huius dissertationis iudicium meum de Plauti Persae origine paucis absolvam lubet hac in particula deinceps res tractare, quae in fabula nostra gestae sunt, hoc consilio praesertim ut indagetur, quae me iudice pugnent contra fabulae oeconomiam.

Legenti relegentique Plauti Persam statim in oculos cadit Persam quodammodo ab omnibus ceteris poetae nostri fabulis differre, idque quod attinet ad argumentum. »Argumentum fabulae est exile, amationis servilis" sunt verba prima Camerarii argumenti. Re vera est fabula servilis, in qua fere semper non nisi servos in scaena videmus. In ceteris Plauti fabulis res aguntur aut ab hominibus liberis aut ab hominibus liberis una cum servis: hac in fabula soli servi telam texunt et usque ad finem deducunt. Tantum filia parasiti excipi posset; ea autem persona non est agens aut moliens aliquid, sed se aliis praebens: partes eius patibilem naturam habent, nihilque ei faciendum est nisi ad rogata sic respondere quasi ex longe remota terra advenerit.

In ceteris Plauti fabulis hoc aliter sese habet. In *Amphitruone* omnia fiunt, etiam nox prolatatur, ut deus voti sui compos fiat. In *Asinaria* id agitur ut argentum pro amica liberanda eruatur Argyrippo (adulescenti)

quod dein a patre ipso volente atque iubente aufertur, qui autem pro illa liberalitate praemium suum pactus est. In *Aulularia* nobis proponitur imago sordidae parsimoniae atque avaritiae in Euclione sene (viro libero), quibuscum cohaeret matrimonium quod fit inter Euclionis filiam et Lyconidem (adulescentem). In elegantissima fabula, quae *Captivi* inscribitur animus noster vincitur admirabili servi fide in herum suum, quae fides multum confert ad agnitionem eius: servus enim non est, sed filius eius cuius in domum, bello captus, venerat: omnes fere personae viri liberi sunt iique primi ordinis. Iter *Curculionis* in fabula, cui eius nomen inditum est, in Cariam hoc consilio suscipitur ut pecunia petatur Phaedromo (adulescenti): pecuniam quidem mutuam non accipit, militi autem lusu annulum suffuratus satis habet ad impetrandum quod petitur: postea miles cognoscit eam quam deperibat, sororem ipsius esse. In *Casina* quidem duo conservi unam conservam expetunt, tamen non sibi ipsis: alter patri, alter filio (viris liberis) operam dat; ut ne hic quidem amationem servilem argumentum fabulae huius esse dicere possimus: exitus enim est ut filius Casinam civem cognitam domum ducat. In *Cistellaria* ante oculos nobis proponitur ἀναγνωρισμός Selenii [1]) quae virgo libera esse perspicitur et deinde nubit Alcesimarcho (adulescenti). In *Epidico* omnis lapis movetur ut requiratur argentum Stratippocli (adulescenti).

1) Scribens *Selenium* secutus sum *Studemundium* (in Indice Schol. in Univ. litt. Gryphiswaldensi. 1871—1872).

In *Bacchidibus* (quo nomine duae sorores indicantur) proponuntur nobis doli a Chrysalo servo parati ad auxilium ferendum Mnesilocho adulescenti, etiam postquam is, haud recte de actis amici sui edoctus, eumque rivalem ducens, (quippe qui sororem alteram amaret) plaustrum perculerat: novi doli instituuntur qui iterum bonum eventum habent. — Omnes perturbationes quae in scaenam prodeunt in *Mostellaria* id spectant ut pecunia Philolachi (adulescenti) suppeditetur in sumptus quos ille in re amatoria fecit. — In festivissima descriptione confusionis quae ex mirifica similitudine duorum fratrum (virorum liberorum) oritur, totus fere actus circa fratres hos (quibus nomen *Menaechmi*) movetur. — In *Milite glorioso* militi ludi fiunt ut amica, invita ab illo arrepta, abducatur ad amantem Pleusiclem (adulescentem). In *Mercatore* nobis contentio depingitur patris et filii (virorum liberorum) de ancillula a filio peregre adducta, donec tandem pater filio cedit. — In *Pseudulo* callide militi amica surripitur Callidori (adulescentis) causa. — In *Poenulo* summa rei est ἀναγνωρισμός, dum dolus qui ad lenonem bolo tangendum paratur e re est Agorastoclis (adulescentis). — Piscator qui in *Rudente* vidulum in reti cepit, ingenuitatem virginis ante surreptae in lucem profert, quae postea nubit Pleusidippo amatori (adulescenti).— Luculenter Plautus in *Sticho* depingit coniugalem fidem firmam sororum duarum, quae constanti fide reditum virorum suorum, qui ad mercaturam faciendam diu peregrinabantur, exspectabant; reditu eorum, re bene gesta opibus auctorum, dignam remunerationem obtinent.— Ut in Sticho coningalem fidem, sic

in *Trinummo* fidem inter amicos depictam habemus, quorum alter magnis opibus praeditus, alter pauperior est: tandem filius divitioris filiam pauperioris in matrimonium ducit (omnes fere personae viri liberi sunt).— In *Truculento* tres iuvenes (omnes liberos) invenimus, qui omnes a meretrice quadam omnibus fallaciis in amorem sui pelliciuntur, quosque quam maxime potest compilat.

Nusquam ergo servi locum primum explent: sunt sane plerumque dolorum auctores, verum herorum vel filiorum herilium causa: servi quidem sunt qui agant, verum res eorum non agitur. In Persa autem servi agunt et servorum res agitur.

I : 1. Toxilus. Sagaristio.

Toxilus in scaenam prodit verba faciens de difficultatibus quae ei superandae sunt qui egens ingressus est amoris in vias, quae consideratio sex versus explet. Satis brevis est versu quinto transitus ab illa communi consideratione ad se ipsum: nam postquam dixit: „nam cum leone.... deluctari mavelim, quam cum amore", pergit: „ita fio miser quaerundo argento mutuo." Ergo intellegendum est Toxilum ipsum egentem amoris in vias ingressum esse, itaque eum miserum fieri quaerendo argento mutuo. Nonnulla ioca ex comparatione amoris cum feris bestiis orta nequaquam hoc loco aliena fuissent.

Versu 7° Sagaristio in scaenam prodit nonnulla de officiis servi boni frugique proferens: Sagaristio servus amicus est Toxili, alii autem hero serviens. Duo servi inter se conspiciunt, salutant et rogant quid agant.

Toxilus (18) respondet se satis ex sententia vivere, dummodo voti sui compos fiat. Statim Sagaristio „nimis stulte" inquit, „amicis utere."
Sagaristio autem nihil adhuc scit de Toxili optatis: quomodo igitur fieri potuit ut iam sciat se auxilio ferendo esse amico? Prius ei sciscitandum erat quae esset natura Toxili optatorum, quam operam suam polliceri posset. Iusta ratio, ni fallor, tale supplementum exigit: Sag. „id age ut omnia impedimenta industria tua superes: tum ex sententia vives". Dein Tox. talia respondere posset: „ipse me ex vinclis necessitatis expedire nequeo: omnem salutem spemque meam in amicis posui: qui nisi subveniant, perii." Commodissime ad haec verba Sagaristionis pertinerent „nimis stulte amicis utere". Verba quae Tox. (20) facit „mihi quidem tu iam eras mortuus, quia te non visitavi" simul excusationem continent cur nondum ab hoc amico auxilium sibi necessarium petiverit.

Sagaristio autem ei causam absentiae explicat: pro nescio quo delicto plus annum ei in pistrino vivendum fuit, quibus narratis Toxilus eum rogat: „satin tu usque valuisti?" Primo obtutu rogare possis num haec verba iterationem vs 17 contineant: sed omnia se recte habent; ubi primum alter alterum vidit rogant illa usu et more recepta „ut vales", „quid agitur"? Postquam vero Sagaristio res a se gestas edidit, se cupidum esse dicit cognoscendi quid Toxilus per omne hoc tempus egerit.

Toxilus Sagaristionem certiorem facit se in Veneris proelio saucium factum esse et huic deae imparem vehementer amare, eumque qui illum monuerat ut tergo

et lateribus suis consuleret, invitat ut secum in domo heri vivat: se liberam vitam agere quod herus peregre sit, eumque bene accepturum esse. Subito autem transit ad ea quae tantum cordolium ei movent, nam „haec dies summa hodiest, mea mi amica sitne libera, an sempiternam servitutem serviat" (34, 35) [1]). Clare sane nobis non explicatur a Plauto quae adhuc condicio Lemniselenis [2]) fuerit neque quam condicionem in posterum nanctura sit, verum quoad possit hoc intelligendum est ex versibus 836 et 837: „nam hercle absque me Foret et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem."

Quoniam huc loci res nos adduxit in animo est mihi nonnulla proferre, quae *Ladewicus* de vs 34, 35 aliisque difficultatibus disseruit in *Philologo* XVII pg. 474 sqq. *Ladewicus* in primis priorem partem Persae lacunosam esse iudicat, negatque patere quae ratio Toxilo cum lenone intercedat cum non intellegatur 1°. cur Toxilus tanto opere lenoni iratus sit eumque ulcisci velit; 2°. qua re adductus pollicitus esset se die constituto pecuniam pro amica soluturum esse, cum nusquam rivalis mentio fiat; 3°. qua ratione, si Toxilus promissis non staret, Lemniselenis sempiternam servitutem serviret cogeretur, cum nihil impediret quominus postea redimeretur; 4°. denique nonnullis verbis indicari videri inter lenonem et Toxilum agi de versura facienda, quae

[1]) In versibus memorandis secutus sum editionem Ritschelianam.

[2]) De scriptura *Lemniselenis* pro quo libri habent *Lemniselene* vide R praefat. pg. X.

ratio in fabula, quae eius nunc forma est, bene peracta non sit. Non mihi hae difficultates tam leves videntur quam *Goetzio* [1]: putat ille sententia verbi „credere" (= crediteeren) bene intellecta, omnes difficultates diffluere (de illa sententia cf. pg. 67 huius libelli): causam Toxili irae esse quod leno amicam nisi praesenti pecunia sibi vendere nollet: praeterea, quod attinet ad vs. 34 non nimis severa trutina ponderanda neque unumquodque verbum statera auraria examinandum esse, quae amator sollicitus in maius aucta dixerit. — Cur autem Toxilus sollicitus est? Suspiceris lenonem ei, ut statim suam venderet, rivalem ostentasse qui mox venturus esset eamque abducturus; sed hac indicatione omnino caremus: non solum miles in scaenam non prodit, verum ne uno quidem verbo cuiusquam militis mentio fit. Sagaristioni utique rem explicare Toxilus debuit. Altera coniectura est verique ut mea quidem fert opinio similior (coll. vs. 336 et 837) haec: Lemniselenis est puella adhuc intacta, cui autem mox, nisi redimatur, corpore quaestus faciendus sit. Sed ne haec quidem sententia in fabulam nostram qualis nunc est quadrat: nam nego moris Plautini esse ut tales puellae a servis petantur: haec ratio non cadit nisi in personas liberas. — Praeterea est res quaedam nondum dicta quae luce necessaria carere videatur, et in qua difficultas obiiciatur me iudice non minoris quam ceterae pendenda.

---

[1]) Dittographiën im Plautustexte nebst methodischen Folgerungen. Eine kritische Untersuchung von Georg Goetz. In actis Societ Philol. Lips. Tom. VI. pg. 298 sqq.

Num secundum naturam humanam fit ut servus omnibus viribus id agat, ut servus alius vel serva alia redimatur, simul non cogitans eadem pecunia fortasse ipsum se redimi posse? Quo illud ciceronianum referre possis „quasi ullo modo fieri possit, ut quisquam plus „alterum diligat quam se." [1]) Libertas enim servo summum bonum est, neque facile cuiquam persuadeas servum amicam pluris ducere quam libertatem.

Denique Toxilus preces profert ut Sagaristio sibi argentum mutuam det: postquam hic affirmavit se nihil habere quod det, eum denuo rogat ut alicunde mutuum petat; dicit se ipsum iam expertum esse, nihil autem impetravisse; Sagaristio se pro virili parte id effecturum pollicetur.

Versus qui adhuc leguntur (inde a 47) in prima scena, satis turbati sunt: Neque quae *Ritschelius* duce *Bothio*, neque quae *Ladewicus* (pg. 472) coniecerunt satis fluentem et clarum dialogum praebent. Verum assentior *Ladewico* dicenti pg. 476 „etiam plures lacunas in priore parte fabulae statuere nos cogunt verba Sagaristionis vs. 767: „cedo parem quem pepigi [2]) cum in fabula, qua forma eam nunc legimus, Sagaristio nihil pepigerit." Goetzius [3]) hanc sententiam refutare

---

[1]) Cic. Tusc. disput. 3: 29: 73.

[2]) Res eodem modo se habet recepta lectione Lipsiensis et F. Lambini: „cedo partem quam pepigi," vel quam Bothius dedit

F. Tú Sagaristio, accúmbe in summo. SAG. Ego níl? cedo parem quém pepigi.

[3]) Goetz. l. l. pg. 300: „Richtig ist dass von jener Abmachung „nirgens die Rede ist: es war dies aber auch gar nicht so unum-

conatur, sed dubito an minus recte. Equidem opinor talem pactionem vix omitti posse. Toxilus amicum remunerari cupiens in potatione dicit: „Tu Sagaristio, accumbe in summo." Sagaristione autem respondente: „Ego nil moror (sc. in summo accumbere), cedo parem quem pepigi", spectatores nonnulla audiverint de aliqua pactione opus est, aut in illa occasione poeta spectatores hac de re certiores facere debuit: neque quicquam prohibere puto quominus poeta hanc pactionem in eadem hac posteriore parte scenae primae posuerit.

Postremo versus ultimus huius scenae duae res obstant, quominus germanum poetae stilum repraesentet:

„Usque ero domi, dum excoxero lenoni malam rem magnam."

1°. Haec verba plane se segregant a convenientia consensuque sententiarum. In praeeuntibus enim Toxilus cum Sagaristione omnia communicavit: se amicam habere, sed non pecuniam: sibi non contigisse ut mutuam pecuniam acciperet. Tum Sagaristionem rogavit ut is sua causa mutuam exoraret. Nusquam autem unum verbum de lenone fecit: nec se a lenone amare ei narravit, nec lenonem sibi credere nolle: credamusne nunc Toxilum postquam amicum suum ablegavit, ei, qui in eo est ut abeat haec verba postrema acclamasse? Credo

„gänglich nothwendig. Aussserdem aber wäre in den ersten Akten „nicht einmal eine passende Stelle für eine dahinzielende Bemerkung „aufzutreiben. Der einzig mögliche Platz wäre eben die fünfte Scene „des vierten Aktes, die sich unmittelbar an die Ausführung der Lis „anschliesst."

Sagaristionem suarum aurium fidei nihil crediturum fuisse.

2°. Verba huius versus et vs. 47 plane inter se pugnant. Sagaristio operam suam pollicitus est (44) hisce verbis: „Quaeram equidem si quis credat:" tum Toxilus (47): „Quaero tamen ego item sedulo" Perspicuum est Toxilum dicere se longius in conatu perrecturum esse ut ipse alicunde argentum mutuum sumat, cum ultimo verso dicat: „Usque ero domi" *cet.*; altera quidem harum sententiarum contextum orationis conturbare videtur.

I: 2 (53 sqq.) *Saturio* parasitus quidam in scaenam prodit narratque spectatoribus se quaestum parasiticum iam a maioribus suis cultum obtinere et magna cura colere, et pergit nonnulla de illo quaestu proferre. Eadem fere ratione *Peniculus* in *Menaechmis* (I: 1) prodit et verba facit de quaestu suo: item *Gelasimus* in *Sticho* (I: 3) et, quamvis paucissimus verbis *parasitus* in *Bacchidibus* (IV : 1). De parte huius scaenae in qua de fastidio verba facit, quod sibi quadruplatores movent, vide priorem partem huius libelli pag. 9 [1]).

I: 3 (81 sqq.) Ab altera scenae parte Toxilus progreditur gaudio elatus, disserens se iam omnem rem

---

[1]) De fama qua quadruplatores fruebantur conferre possis: *Cic.* in Q. Caec. div. 7 : 24 : „quadruplatores, quos non sine causa contemp„sit semper et pro nihilo putavit," item quae *Cic.* disputat pro Rosc. Amer. Cap. 20. — *Sycophantam* apud Graecos festive *Demosthenes* depingit κατ' Ἀριστογείτονος pag. 786.

invenisse ut sua pecunia eo ipso die leno illam (Toxili amicam) libertam faceret. Obiter dicamus Toxilum hoc loco ipsum pronuntiare se *omnem rem* invenisse: ne muttit quidem de Sagaristione, quem adiutorem ablegavit, quemque tam magnis precibus oravit, ut sibi argentum mutuum quaereret: tantum auxilio Saturionis sibi opus esse confitetur. Postea ad hanc rem redibimus.

Iam statim parasitum conspicit, tamen quasi eum non animadvertat, domum relinquens servos cenam parare iubet. Tandem inter se salutant, multisque verbis ultro citroque factis de ciborum et potionum suavitate gulaeque oblectamentis, Toxilus parasitum rogat memineritne se orare, ut sibi argentum mutuum daret. Saturio se meminisse quidem affirmat, verum negat se habere quod det, quo facto Toxilus „iam „nolo argentum". Num consentaneum est Toxilum haec verba dicere? Qua forma ad nos fabula pervenit Toxilus dicere non potest se satis habere si parasiti filia tantum sibi utenda detur: praeterea ei pecunia opus est. Nam prius lenoni pecuniam solvit pro Lemniselene liberanda quam a Sagaristione quicquam accepit: neque nunc iam scit Sagaristionem postea pecuniam sibi volenti allaturum esse: Sagaristioni quoque accidere posset, ut re infecta rediret.

Toxilus autem (128) parasitum certiorem facit filia eius sibi opus esse ad rem, quam in animo habeat, perficiendam. Nonnullis versibus post, postquam Toxilus parasito minatus est eum non prius cibum gustaturum esse, quam se hoc facturum esse affirmaverit, Toxilo assentitur, promittitque se omnia, quae Toxilus velit facturum esse. In promtu est cuivis hos versus legenti

fieri non posse ut hanc partem fabulae integram habeamus; si ea quae legimus recta sunt, dubitari non potest, quin plura exciderint. Quamvis magna sit edacitas atque voracitas parasiti, vix nobis persuademus parasitum nihil amplius scientem nisi fore ut filia sua venderetur, huic venditioni tam temere assensurum fuisse. Procul dubio necesse est meliorem explicationem Toxili consiliorum praeiisse. Saturio ne satis quidem audiverat ut filiam suam bene instrueret ad partes suas bene agendas. Hisce verbis meis fidem addunt quae *Ladewicus* et *Goetzius* de hoc loco disputaverunt, quorum uterque eadem fere censet [1]. Iam *Ritschelius* in adnotatione „post hunc versum (136) quaedam interciderint oportet"; aut hoc loco aut hic viciniae sine dubio lacuna quaedam statuenda est. — Redeamus nunc ad versum 131, eumque paullo accuratius tractemus. Priusquam parasito narravit se filiam

[1]) Ladewicus l. l. pg. 476 scribit: „Lückenhaft muss ferner die „Scene 1: 3 sein, wo die Aufschlüsse, die Toxilus dem Parasiten „über seinen Plan giebt, weder den Saturio, noch die Zuschauer „befriedigen können, ja, wo das in v. 148 — 152 ausgesprochene „Verlangen des Toxilus dem Saturio völlig unverständlich sein muss." — „Item Goetzius l. l. pg. 300. „Richtig ist von sämmtlichen Behaup- „tungen Ladewigs in Betreff der Lücken im Persa nur die Eine, dass „die Aufschlüsse die Toxilus dem Saturio in der dritten Scene des „ersten Aktes gibt, weder diesen noch die Zuschauer befriedigen „können. Der Parasit soll seine Tochter zu der beabsichtigten „Prellerei hergeben: wie konnte nun Tox. sogar die nöthigen Anord- „nungen von ihm fordern, ohne ihn vorher in den Zweck der Intrigue „einzuweihen? Einen passenderen Platz für diesse Lücke habe ich „aber nicht auffinden können, als nach v. 136, wo bereits Ritschl „eine solche statuirt hat."

eius vendere velle lenoni, eum rogat: „Hic leno neque te novit neque gnatam tuam?"

Quid hoc refert? *Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον*! Quid interest utrum leno Saturionem noverit necne? Non enim Saturio, (in nostra quidem fabula) venditor virginis est, verum Sagaristio. Saturio autem non prius ante oculos lenonis versatur, quam filiam suam adloquitur (4 : 9 : 2) (739), ut eam recuperet. Num illo loco leno Saturionem non noverit opus est? Equidem nego: neque quicquam est cur ibi agnitio rei gerendae noceat. Puto contra scenam illam multum festivitate profecturam fuisse si Saturio lenoni ignotus non fuisset, leno autem intellexisset se virginem liberam, civis Attici filiam emisse: sic fortasse aliquatenus celeritatem quoque explicare possis, qua leno videt ibi se deceptum esse (de quibus vide pg. 75 sqq). Nusquam autem legimus Sagaristionem a Toxilo rogari, num leno eum noverit, quod tamen optime concineret cum oeconomia fabulae nostrae: quippe cui partes Persae agendae, multaque verba cum lenone facienda de pretio et venditione sint. Neque in transitu Toxilus hac de re Saturionem interrogat, verum diserte: nam, postquam Saturio ad interrogata respondit: „me ut quisquam norit, nisi ille qui praebet cibum", Toxilus „si itast" inquit „hoc tu mihi reperire argentum potes." — Quid multa? Etiamsi leno Saturionem optime nosset rei gerendae nihil officeret.

Tandem, ut supra iam dictum est, Saturio assentitur et pollicetur se omnia ex Toxili mandatis perfecturum esse, quo facto discedunt.

II: 1 (168) et 2 (183 qq). Duae hae priores scenae actus secundi descriptionem continent quo modo Sophoclidisca a Lemniselene ad Toxilum, Paegnium autem a Toxilo ad Lemniselenem mittantur, praeterea concursum nuntiorum. In has exiguas res, quae dialogum fere sine argumento et sententia efficiunt, non minus octoginta duo versus (168—250) impenduntur, qui fabulae agendae tenorem interrumpentes, eventum morantur. Eodem fere modo nuntii dimittuntur. Quas ad res dimittantur nobiscum non communicatur, verum coniicere possumus illi ad Toxilum, huic ad Lemniselenem epistulas amatorias afferendas esse. In utraque scena is qui mandat timet ne nuntius non meminerit quae iussus est, unde altercatio oritur. Vs. 200 Paegnium Sophoclidiscam, 201 Sophoclidisca Paegnium conspicit saluteque in vicem dicta inter se colloqui incipiunt: primo uterque negat se dicere velle quid missio velit neque quo mittantur. Maledictis atque iurgiis inter se certant, donec tandem v. 247 Sophoclidisca „Toxilo" inquit „has fero tabellas tuo ero", et Paegnium: „At ego „ad Lemniselenem tuam eram hanc obsignatam abietem." Diligentissime perpendenti harum scenarum momenta mihi non contigit ut quicquam invenerim quod ullam vim ad fabulae nostrae propositum habeat. Sunt scenae inanes, etsi non nego saepius aliquid iocosum dici. Videamus igitur num in ceteris talibus servorum conloquiis tam plane argumento et sententia careamus.

In scena secunda actus secundi *Asinariae*, praesertim priore parte, abundanti facetiis scurrilibus, nequaquam tamen argumentum desideramus: ibi enim dolus inter Leo-

nidam et Libanum texitur, quomodo ille ex Leonida Saurea futurus, et pecuniam a mercatore pro asinis sit accepturus.

In *Casina* (I : 1) colloquium habent duo servi Chalinus et Olympio, quo colloquio partim iam argumentum fabulae cognoscimus: audimus enim duos servos conservam expetere uxorem, quorum alter a sene, alter a filio herili allegatus est.

Item colloquium in *Epidico* inter Thesprionem et Epidicum nos in fabulam ipsam introducit (I : 1): cognoscimus filium herilem peregrinantem rediisse et secum adduxisse captivam adulescentulam, quam de praeda mercatus sit, quam ad rem pecuniam Thebis ab danista foenore sumpserit: Epidici esse ut hanc pecuniam alicunde eruat, eumque audimus querentem quod omnes dolos ante structos ad senem bolo tangendum frustra fuerint.

Initium *Mostellariae* quoque colloquium habet inter duos servos Grumionem et Tranionem, verum aeque atque in Epidico, eo ipso in fabulae propositum introducimur. Audimus alterum alteri obicere quod rem familiarem heri absentis perdat, eiusque filium corrumpat; sic notitiam assequimur vitae et morum filii herilis quae magni momenti sunt ad ipsam fabulam.

Scena tertia actus secundi *Militis gloriosi* festivam argumentationem continet qua Palaestrio Sceledro persuadeat eum, cum dixisset se Philocomasium vidisse osculantem cum nescio quo adulescente, hoc videre non potuisse, ita ut denique confiteatur se, etsi viderit, tamen non vidisse, sibique sine dubio caliginem ob oculos obstitisse. Eodem spectant duae scenae sequentes.

Item facile iudicari potest quo pertineat ἐπεισόδιον quod legimus in eadem fabula (III: 2) continens colloquium inter Palaestrionem et Lurcionem [1]). Sceledrus Nestoris annos in cella heri sui bibit, quo facto ebrius in mediis cellae laboribus obdormivit. Bonus eius subpromus Lurcio, qui nunc Sceledri vice ad Palaestrionem venit, tandem confitetur se Sceledro probe auxiliatum esse, nunc autem a Philocomasio alio missum esse. Palaestrio ipse hanc missionem versibus (3 : 2 : 54 sqq.) 867 (ex rec. Brixii) sqq. explicat: „Modo intellexi, quam rem „mulier gesserit: Quia Sceledrus dormit, hunc subcusto- „dem suom foras ablegavit, dum ab se huc transiret." Praeterea Periplecomeno tempus dandum erat ut mulieres (quae iam postera scena prodeunt) ad partes suas agendas bene instrueret. [2])

De scena secunda actus quinti *Stichi*, colloquio inter duos servos Sagarinum et Stichum vide pag. 77.— Ergo videmus in ceteris Plauti fabulis quaecumque eiusmodi colloquia servorum incidunt, plerumque ea proposito

---

[1]) *Lurcio* pro *Lucrio* scripsi auctore *Ribbeckio*: item *Brixius*.

[2]) O. Ribbeck ALAZON: Ein Beitrag zur antiken Ethologie und zur Kenntniss der Griechisch-Römischen Komödie, u. s. w. pg. 71: „Ganz episodisch" ist das lustige Gespräch zwischen Palaestrio und Lurcio (III: 2). Es hat zunächst den Zweck dem Periplecomenus Zeit zu lassen zur Anwerbung, Ausstaffirung und Unterweisung der beiden Frauenzimmer, mit denen er bereits in der folgenden Scene auf dem Plan erscheint. Untergeordnet ist das Motiv, durch welches Palaestrio selbst v. 864 f. die Entsendung des Unterhüters durch Philocomasium erklärt, dass diese nämlich unbemerkt ihre Wohnung, in die sie seit v. 539 definitiv zurückgekehrt zu denken ist, verlassen und zum Nachbarn hinübergehn könne.

conducere et quodammodo ad nodum solvendum pertinere.— Vide praeterea iudicium *Ladewici* de his duabus Persae scenis [1]). Eadem fere dicta velim de scena 4ª huius actus: eiusdemmodi inane colloquium, eiusdemmodi argumenti penuria.—

II: 3. Gaudio exsultans Sagaristio spectatoribus se in conspectum dans omnibus diis gratias agit et laetatur tanquam summum bonum assecutus sit. Causa autem huius laetitiae in fabula nostra non tantopere se in auras attollit, verum magis per humum repit: tantum pecuniam adeptus est, quam amico suo Toxilo det. Insolitam amicitiam fidemque inter servos!

II: 4 (272). Sagaristioni in scena versanti obviam it Paegnium, qui ei roganti, ubi Toxilus, herus eius sit, respondere non vult, quo facto alter alteri convitia ingerit. De hac scena vide quae supra dicta sunt in II: 1 et 2.—

II: 5 (302). Toxilus Sophoclidiscam, quae ei nuntium Lemniselenis attulit, iisdem fere verbis dimittit quibus 1: 3: 85 (165) se puerum suum Paegnium dimissurum esse dixit: ei mandat ut illam bonum animum habere iubeat, cum iam paratum sit unde argentum sit futurum: qua dimissa Sagaristionem conspicit et colloquium eorum incipit. Quamvis iocosissime haec scena scripta Plautoque dignissima sit, tamen in nostro contextu aliud quiddam exspectaveramus. Postquam enim ipse dixit

---

[1]) Ladewicus l. l. pg. 476 appellat II: 1 et 2 „in ihrer jetzigen Gestalt unglücklichen Scenen."

(I : 3 : 1) : „Omnem rem inveni, ut sua sibi pecunia hodie illam faciat leno libertam suam"; ad Saturionem (I : 3 : 47) : „iam nolo argentum", et (II : 5 : 1) ad Sophoclidiscam: „Paratum iam esse dicito unde argentum sit futurum", consentaneum erat eum nunc, simulac Sagaristionem conspiciat, gaudio repletum, hoc item cum Sagaristione communicare. Contra videmus Toxilum se gerere quasi ipse adhuc nihil invenerit, et humillime rogare II : 5 : 9 (310). „Ecquid, quod mandavi tibi, est nunc speculae in te?" — Festivissimis versibus Toxilus certior fit Sagaristionem pecuniam nanctum esse: illum enim a domino Eretriam missum boves mercatum, nunc autem domum Toxili pro Eretria habere: tandem Toxilus Sagaristioni narrat se mox omne argentum redditurum esse: nam se ipsum iam omnia comparavisse, quo pacto argentum auferret a lenone, mulier libera fieret, leno ipse ultro argentum daret.

III : 1. (329). Saturio cum filia sua in scenam prodiens affirmat se hodie eam specie venditurum esse: se omnia consilia cum ea communicavisse et ea causa sic (ornatu Persico) eam exornavisse. Virgo primo vehementer huic consilio repugnat, in primis metuens ne hac venditione, si percrebuerit res gesta et in maius aucta sit, existimationem plane amittat: „inimici enim „famam non ita, ut natast ferunt." Pater autem ad patriam potestatem provocans, asseverat se id suo arbitratu facturum neque se ad eius voluntatem conformaturum esse: quo facto tandem roganti „futura's dicto oboediens an non patri," virgo „futura" respondet.

Hanc scenam inter optimas partes totius fabulae nostrae ponere non dubito: neque aliorum laude caret. [1]) *Ladewicus* (ll. pag. 472) in dubium vocat num lectio v: III : 1 : 21 (349) sqq. sana et salva sit:

V. Non sum neque me esse arbitror, 349.
Quom parva natu recte praecipio patri: 350.
Nam inimici famam non ita ut natast ferunt. 351.
SAT. Ferant eantque in maximam malam crucem. 352.
Non ego omnis inimicitias pluris aestumo, 353.
Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi. 354.
V. Pater, hominum immortalis est infamia: 355.
Etiam tum vivit, quom esse credas mortuam. 356.

Ladewicus causam esse negat, cur virgo hoc loco denuo verba faciat de infamia: putat autem omnem difficultatem e medio sublatum iri v. 355 et 356 post 350 positis.

Equidem huic sententiae assentiri non possum. Puto 1° hos versus minus alacritatis habituros si post v. 354:

Quam mensa inanis nunc si adponatur mihi.

statim legerimus v. 357:

---

[1]) Conferatur quae dicit H. P. de Limiers l. l. pg. 257 „Rien „n'est plus beau ni mieux ménagé que ce Dialogue, où l'on voit un „Père, avide des bons morceaux, sacrifier sa propre Fille à cet appetit „desordonné, et une Fille, modeste et retenue, faire à son Père les „plus sages remontrances."

Similia in editione: M. Acc. Plauti comoediae ex recognitione *Guyeti* Audini. Opera et studio M. de Marolles etc. Lut. Parisiorum 1658 (tomus IV. pg. 309) legimus: „cette Scène est fort jolie, „et pleine de bonnes choses, où le poète introduit un parasite, „qui s'efforce de persuader sa fille de se laisser vendre pour gagner „quelque bon repas *etc.*"

Quid? metuis ne te vendam? V. Non metuo pater: 2° causam afferri non posse cur quicquam mutari oporteat. Non recte enim *Ladewicus* disputat dicens virginem denuo de *infamia* verba facere. Non de *infamia* omnino, verum de *immortalitate* infamiae hoc loco agit. Quod si probe tenetur, omnia optime sese habent, neque quicquam mutandum. Virgo enim haec vult: „Non possum quin tibi repugnem et recte praecipiam, neque „id faciens perverse ago: nam inimici nostri rem „non ferunt, ut re vera est, verum in maius ple- „rumque augent." Id autem se nihil morari pater affirmat v. 351 sqq. Postremo virgo, tamquam concedat rumores ipsos etiam in maius auctos, si modo in breve tempus viverent, non nimis graves fuisse futuros, patrem admonet *immortalitatis* infamiae: talium rumorum, qui existimationem alicuius imminuant, semper aliquid in memoria hominum relinqui. Pater, cum haec negare nequeat, aliam viam ingreditur, et dicit:

„Quid? metuis ne (re vera) te vendam?"

Igitur nihil mutandum esse censeo.

III: 2 et III: 3. Dordalo domo sua excedenti nonnullaque de pecunia, quam hodie fore ut accipiat sperat, locuto Toxilus item domo sua excedens obviam venit eique multa convitia ingerit: ille autem huic parem gratiam refert neque minores contumelias dicit. Quo facto Toxilus lenoni solvit pro amica liberanda pecuniam, quam a Sagaristione acceperat.

Iam supra verba fecimus de difficultatibus a *Ladewico*

indicatis (vide pg. 52 sqq): hoc loco unam rem paulo altius repetamus. *Ladewicus* ll. negat perspicuam esse rationem, quae Toxilo cum lenone intercedat. *Goetzius* l.l. obscuritatem sublatam esse putat si modo concedamus vocabulo „credere" hoc loco significationem tribuendam esse quam habet nostrum *crediteeren* i. e. „fide data et accepta debitum non exigere; fidem habere promittenti se soluturum." Sine dubio haec significatio hoc loco recipienda est, neque *Ladewicus* id negare videtur. Cf. adnotationem eius pg. 476. — Ne vel sic quidem res perspicuitate abundare videtur. Qua forma fabulam nostram nunc habemus, Lemniselenis nondum manumissa est, neque iam Toxilus eam possidet. Attendamus autem hos vs:

402 D. Quod (argentum) si non dederit atque hic dies praeterierit,

403 Ego argentum, ille ius iurandum amiserit.

416 T. Qui nisi iurato mihi nil ausu's credcre.

424 D. Quin tu mi argentum *reddis?* nilne te pudet?

Hi versus nos in eam opinionem adducunt ut putemus lenonem *aut* Lemniselenem pecunia non praesentaria vendidisse Toxilo, iurato se hanc die constituto soluturum esse, *aut* lenonem in nescio quam rem Toxilo argentum mutuum dedisse, quae tamen utraque opinio fabulae nostrae repugnat.

Ubi primum leno argentum accepit, Toxilus eum mulierem per hortum clam ad se ducere iubet. De vitiis partis posterioris huius scenae (III : 3), vide partem priorem huius libelli. — Frustra praeterea quaeritur cur omnia adeo in occulto fiant. Licebat sane

Dordalo suam vendere et manu mittere; neque alii eam, iam liberam sibi vindicare poterant. Quare nihil erat secreto opus.

IV: 1. Toxilus in scenam prodit fiduciam suam eloquens omnem rem, quod eam facete et callide exorsus sit, bene proventuram esse. Sagaristionem foras evocat, qui virginem ornatam et tabellas, quas Toxilus ipse consignavit, secum ducat.
Non facile explices quid sibi velint verba vs 461:

Quas tu attulisti mihi ab hero meo usque e Persia.
(sc: tabellas) [1]).

Sagaristio enim omnia falsa esse perbene sciebat.

IV: 2. Sagaristio foras exit cum virgine, Toxilum rogans ecquid lepide et graphice exornati sint. Ipse a Toxilo rogatus num partes suas bene noverint respondet se et virginem melius quam omnes comicos et tragicos meditatos esse. Quo facto Toxilus eum monet id accedendi tempus futurum esse, cum se cum lenone colloquentem viderit.

IV: 3. Dordalus et Toxilus. — Dordalus gaudio elatus quod ancilla vendita est, Toxilum num iam Lemniselenis libera sit rogantem, certiorem facit se eam iam manu emisisse. Toxilus hanc ob rem se gratissimum erga lenonem simulans, dicit se eum praemio

---

[1]) *Ritschelius* de coniectura hunc versum dedit:
[Ecfer], quas tu attulisti mi usque e Persia.

remuneraturum: sibi enim litteras e Persia allatas esse, quas ut leno legat se in rem eius ei suadere. Igitur leno epistulam a Timarchide, hero, ad Toxilum missam, legit. Post consuetam salutationem ei mandat ut peregrinum (Sagaristionem ornatu Persico) qui hasce litteras attulerit, comiter excipiat hospitiumque praebeat et id agat, ut mulier libera, quam is simul secum e Persia captivam adduxerit, vaeneat emptoris periculo.

Toxilus autem dolose lenonem inpellere conatur ut illam emat: qui primo gravatus postremo dicit se „mercimonium videre modo" velle. Eodem ipso tempore Sagaristio et virgo adveniunt, et venimus ad eam scenam

IV: 4, in qua venditio fit. Est ea elaboratissima, sale facetiisque abundans, neque minus quam III: 1 inter optimas partes fabulae nostrae habenda [1]). Sagaristio virgini urbem ostendit, quae rogata quid de omnibus rebus quas videat iudicet, semper festivissima responsa dat. Tum Toxilus et leno parvo intervallo consilia

---

[1]) Iterum operae pretium est adnotare quae de hac scena Limiers et Guyeti editor sentiunt. H. P. de Limiers l. l. pg. 259. „Il „(Dordalus) lui fait plusieurs questions sur la naissance et sur son „pays, dont l'adroite femelle se tire habilement et sans faire aucun „mensonge: en quoi l'adresse de Plaute est admirable, de l'avoir faire „parler si finement, qu'on ne pût rien avoir à reprocher à cette „fille, ni à celui qui la vendait, quand on viendrait à découvrir la „fourbe". Alter l. l. pg. 310. „Cette scène qui fait jouer les person„nages déguisés pour tromper Dordale, afin de tirer de sa bourse „l'argent qu'il avait reçu pour l'affranchissement d'une fille que Toxile „aimait, est à mon avis la plus agréable et la plus ingénieuse de „toutes les scènes de cette comédie."

conferunt; ille huic magis magisque suadet ut virginem emat neve hoc fortunae munusculum repudiet. V. 576 propius accedunt, nonnullisque interrogationibus responsisque ultro citroque datis convenit, antequam de venditione agatur, ut leno virginem interroget de nomine, patria, parentibus cet. Festivissime semper ad interrogata respondet re vera nullum mendacium dicens, sed vere nihil dicens; ceterum verba sic facit, ut lenonem ad se emendam instiget, qui ex sua redemptione magnum brevi lucrum sit facturus. Tandem sexaginta argenti minis emptio fit, quo facto leno abit ut argentum adferat.

Una quidem res tribus verbis tangenda est. Subabsurdum est lenoni qui ex rei natura non nimiam fiduciam hominum habeat, admirationem motam non esse, quod ille Persa et illa Persis qui recta ex Persia advenerunt, optime Latine loquuntur.

IV: 5 (673). Toxilus virgini gratias quam maximas agit quod tam bonam operam dedit, Sagaristionem autem monet ne, pecuniam secum auferens, protinam domum abeat, verum ut per angiportum se per hortum in domum Toxili recipiat.

Quod attinet ad responsum a virgine Toxilo datum, gratias agenti, liceat mihi denuo hastam a *Goetzio* amentatam torquere, cum plane eadem sim sententia [1]).

---

[1]) Goetzius l. l. pg. 301. „Eine weitere Ungereimtheit enthält „die fünfte scéne. Toxilus dankt dem Mädchen mit folgenden Worten:

Edepol dedisti virgo, operam adiutabilem.

Probam et sapientem et sobriam.

„Die Tochter des Saturio ist in dem ganzen Stücke der einzige

IV: 6. (683). Leno domo redit et debitum solvit Sagaristioni iamiam abituro: rogatus autem a Toxilo quid tam properet, respondet sibi negotium esse: epistulas enim sibi mandatas esse quas reddat, praeterea se audivisse fratrem suum in hac urbe servire, quam ob rem operam dare velit ut eum requirat et redimat. Toxilo in mentem venit se saepius quendam Sagaristionis persimilem vidisse, itaque scire cupit quod nomen Sagaristioni sit. Responsum eius conglutinatum est ex multis novatis et multifariam compositis nominibus quae festive rem, uti gesta est, describunt: quo facto Sagaristio abit.

IV: 7. (711). Tum Toxilus denuo de opera sua ad tam lucrificabilem emptionem in lenonem gloriatur: hic autem nequaquam quieto animo est, et indicat eum qui illam virginem vendiderit multo meliore condicione esse quam se, qui emerit. Toxilum simulantem quasi operae impensae se poeniteat, quoniam eam in irritum cecidisse intellegat, consolatur affirmans eum utique pro vero amico se gessisse bonamque operam amico dedisse.

„Charakter, der uns ein höheres Interesse einzuflössen vermag. Wie „eindringlich weiss sie den Vater zu bitten, von seinem Vorhaben „abzustehen, indem sie ihm das Schimpfliche der Sache in mehrfachen „Variationen darlegt. Zwar muss sie sich schliesslich der Vaterlichen „Autorität fügen: werden wir nur aber glauben dass sie nach der „Verkaufsscène auf einmal eine andere geworden sei, dass sie aus „der Noth eine Tugend gemacht und dem Toxilus, aus dessen Mund „sie jedes Lob zurückweisen musste in der bei Dankesbezeugungen „üblichen verbindlichen Phrase erwidert habe:

„Si quid bonis Boni fit, esse idem et grave et gratum solet?

Quo facto leno denuo domum redit ut nonnulla intus praecipiat, quae dudum praecipere oblitus sit, virgine apud Toxilum relicta.

Haud parvam admirationem movet quod leno, qui modo metum suum indicaverit, ne quis veniret virginem in libertatem vindicatum (716: Qui ego nunc scio an iam adseratur haec manu?), nunc eam Toxilo in custodiam tradat. Iure rogare possis quaenam causa sit, cur illam non statim secum domum ducat ibique diligenter servet: quod sine dubio melius in mores lenonis quadraret. Postquam leno abiit Toxilus Saturionem evocat his verbis:

725. To. Heus Saturio, exi: nunc est illa occasio
726. Inimicum ulcisci. Sat. Ecce me, numquid moror?
727. To. Age illuc abscede procul e conspectu et tace.
728. Ubi cum lenone me videbis colloqui,
729. Tum turbam facito. Sat. Dictum sapienti sat est.
730. To. Tunc quando abiero Sag. Quin taces? Scio quid velis.

(730. accessit e solo Ambrosiano Ritschelio auctore). Iam primo aspectu intellegimus fieri non posse quin hi versus mendosissimi sint. Nam simulac Saturionem foras evocavit v. 725, et hic praesens adest dicens „numquid moror'', statim eum denuo e conspectu abire iubet. Verum quod etiam multo magis offendit est quod scena proxima percipitur Sagaristionem eo ipso tempore turbam facere, quo Toxilum abiisse videt. Is enim post gratias a lenone actas „num" inquit „quippiam aliut me vis?" ad quae leno „ut bene sit tibi" respondet. Tum Toxilus vs. 736 et 737 proloquens

abit. Quo facto videmus Saturionem in scenam prodeuntem verbis: „Nisi ego illunc" *cet.* Nihilominus scena nostra (vs. 728) legimus Saturioni tum turbam esse faciendam, cum Toxilum cum lenone colloqui viderit. Quo nihil repugnantius inveniri posse nemo est quin videat.

Fieri potuit ut vs. 727 et 728 hoc loco perverse repetiti sint ex scena secunda actus quarti (467 et 468), ubi optime ad sententiam conveniunt: neque autem sic res satis perspicua est. (Cf. *Ladewicum* et *Goetzium.*)

Etsi hunc locum inter controversias enumeravi, fieri quoque potest ut versus perturbati sint, quamobrem vide num haec placeant. *Et* quod legimus v. 727 post *conspectu* tantum coniectura est Acidalii neque in libris legitur: igitur deleatur *et*, et interpungatur post *conspectu*, (non post *tace*): *tace* coniungatur cum versu proximo, quo facto plenius post *conloqui* interpungatur. Praeterea 729 et 730 inverso ordine scribantur, ita ut totus locus hic sic legatur:

T. Heus, Sáturio, exi: núnc est illa occásio
Inimícum ulcisci. Sat. 'Ecce me: numquíd moror?
T. Age illúc abscede prócul e conspectú. Tace
Ubi cúm lenone mé videbis cónloqui.
Tunc, quándo abiero.... Sat. Quín taces? scio quíd velis.
T. Tum túrbam facito. Sat. Díctum sapientí sat est.

IV: 8. (731). Non possum quin de hac scena subscribam iudicio Goetzii qui l. l. pg. 301 haec fere habet. „Praeterea vs. 731 sqq. tantopere centonis aspec-

tum praebent ut iis quoque suspicio universa confirmetur." Quo nihil verius! Vs. 731 et 732, ubi leno in scenam rediens verba facit ad Toxilum de squalore aedium suarum et supellectilis, nostro loco nihil ad rem pertinent. Veruntamen cuivis perspicuum est hos versus quodammodo explicare cur leno secesserit et optime convenire cum 722 („attat oblitus sum intus dudum edicere quae volui edicta"). Aut utroque loco (722 et 731) aut neutro aliquid omittendum. Quod si servantur versus, interponatur aliquid necesse est, et plura quidem quam quae nunc adsunt: haec enim ita levia sunt ut discessum lenonis non satis explicent. Ego inclino in hanc partem ut putem denuo magnas perturbationes atque lacunas esse indicandas. — Vs. 733 et 734 Toxilus denuo lenonem admonet se tam bene de eo meritum esse, atque denuo leno ei gratias agit: (de tritis istis verbis „bonam vitam," vel „multa bona facere" cf. Cas. 2 : 8 : 32, Poen. 5 : 4 : 46, Cas. 4 : 4 : 17) [1]. Versus ultimi prior pars usitata est formula abire volentis, posterior salvere iubentis.

Toxilus omen verborum lenonis „ut bene sit tibi" accipiens et pronuntians se cum lenonis liberta iam inclinaturum esse abit.

IV : 9 (738). Argumentum huius scenae est adventus Saturionis, qui filiam suam secum abducere vult. Leno intellegit se deceptum esse dolis Toxili et Persae atque a

---

[1]) Et nostro loco et *Cas.* ll. A habet: bona multa; ceteri: bonam vitam

Saturione in ius ambulare iubetur. Haec omnia quattuordecim tantum uersibus continentur.

Iam statim ad priorem partem animum attendamus:

738. Sat. Nisi égo illunc hominem pérdo, perii. atque óptume
Eccum ípsum ante aedis. V. Sálve multum mí pater.
Sat. Salvé, mea gnata. Dord. Ei, Pérsa me pessúm dedit.
V. Pater híc meust. Dord. Hem, quíd? pater? perii óppido.
Quid ego ígitur cesso infélix lamentárier
Minás sexaginta? Sat. Égo pol te faciám, scelus,
Te quóque etiam ipsum ut lámenteris. Dord. óccidi.

Primo iam aspectu intellegimus hanc scenam integram non esse, nec quae a Plauto originem accipere tali quidem forma potuerit. Non amplius est quam adumbratio scenae quae procul dubio longe alia fuit. — Quanta enim festinatio est qua omnia in hac scena fiunt! Saturio in scenam prodit: virgo nihil nisi „Salve multum" inquit „mi pater," ad quam salutationem pater tantum respondet: „salve mea gnata;" nunc iam leno omnia animo percepit et desperans exclamat „Ei Persa me pessumdedit." Virgine praeterea addente „Pater hic meust," statim his verbis fidem habet et prorsus sibi persuasum habet haec omnia vera esse, et iam exclamat „perii oppido!" Si hoc revera Plautinum esset, ingenium Plauti hoc loco haud valde niteret. Quo modo fieri possit ut post mutuam salutationem tantum factam inter patrem et filiam, leno, qui saepius fiduciam sui Toxili pronuntiavit saepiusque ei gratias egit, nunc statim intellegat

atque pro explorato habeat se deceptum esse et omnem rem gestam nihil nisi meras fallacias fuisse. Longe aliud quiddam in tali re a spectatoribus expectatur. — Animo iam vident quomodo leno ira incitatus obtinere conetur quod ius suum esse putat, negans Saturionem et virginem verum loqui, Saturio autem minis atque vi filiam suam abripiat, dum uterque silvam convitiorum atque exsecrationum in caput inimici effundat. Quid multa? Argumentum ipsum huius scenae poetae nostro valde idoneam facultatem praebebat ad plurimas facetias salesque adhibenda. — Scilicet neque modum interpolationis aut omissionis terminare neque disertis verbis statuere quae Plautus revera dederit, quisquam possit: verum scenam germanam ac nativam nescio quo consilio valde contractam atque misere mulcatam esse, statuere non dubito.

Leno postquam intellexit se deceptum esse a Saturione in ius ambulare iubetur. Difficilia intellectu mihi esse videntur verba lenonis (v. 747). „Nonne antestaris?" Nam serio haec verba dicere non poterat, cum praeter lenonem et Sagaristionem nemo nisi virgo in scena esset: praeterea si quis affuisset, verisimillimum est eum non pro lenone apud praetorem locuturum fuisse: iocose contra haec verba dicta esse condicio ipsa lenonis minime admittit. Tantum restat ut contineant genus aliquod reprehensionis sub forma interrogationis, quasi dicat: „non me rite in ius vocare potes."

V: 1 (753). Argumentum paenultimae huius scenae est initium potationis, quae scena proxima continuatur; magna huic scenae similitudo est cum *Stichi* V: 4

quacum hanc conferri operae pretium est. Adnoto infra quae de loco *Stichi* disputavit *Teuffelius:* (Studien und Charakteristiken) pg. 277 sqq. quae, dignissima quae legantur praesertim ideo adnoto, quod nescio an ad nostrum quoque Persae locum aliquatenus referenda sint [1]).

Toxilus prodit in scenam gaudio elatus quod omnia tam bene cesserint, et ipse inimicum tam probe ultus sit. Quamobrem adiutores remunerari cupiens, nonnulla parari iubet ad eos convivio excipiendos, quo facto convivium haberi coepit.

Animadversione atque admiratione dignum est parasitum nostrum convivam huius convivii non videri, quippe cuius opera in primis res bene gesta sit; neque ultimus ordine habendus erat eorum „quorum (sunt

---

1) „Ein heiteres Mahl mit Gesang bildete ohne Zweifel die Schluss- „scene in dem Menandrischen Stücke, das dem Stichus zu Grunde „liegt, nur aber so, dass die Theilnehmer daran die heimgekehrten „Ehemänner und ihre Frauen selbst waren, welche auf diese Weise „ihre Freude über ihre glückliche Heimkehr nach langer Abwesenheit „und über das frohe Wiedersehen der trotz Anfechtung treu geblie- „benen Gattinnen an den Tag legten. Auf ein solches Mahl weisen „die fortwährenden Vorbereitungen hin: dabei sei schliesslich auch „der Parasiet gewesen, der doch keinen andern Zweck haben könne. „Auch Antipho sei wahrscheinlich gepaart gewesen und zwar mit „einer Flötenspielerin, die er IV : 1 von Pamphilus erbittet. Plautus „wollte Gesang und Tanz am Ende belassen, mochte aber andrerseits „nicht allzusehr gegen die Römischen Begriffe verstossen, und Freige- „borne singend und tanzend einführen. Deswegen setzte er ein „Sklavengelag an Stelle des Herrengelages. Viele feine Tischreden „mussten dabei in Wegfall kommen; daher das unbefriedigende und „unharmonische in der Komposition."

verba Toxili 760) opera haec mihi facilia factu facta „sunt quae volui ecfieri" quos hancobrem „omnis hilaros „lubentis laetificantis faciam ut fiant." — Opiparae coenae ipsius spes voracem illum hominem moverat ut filiam suam mutuam daret: cur nunc praemio tanti empto careat? Neque eum pudebat cibum e manibus servi accipere, ut perspicue vidimus scena tertia actus primi, ubi Toxilum mendici loco reliquias flagitabat. Versus huius scenae potissimum offendunt:

753. Hostibus victis, civibus salvis, re placida, pacibus perfectis.

Hic versus multis displicuit: praesertim plurale *paces* valde offendit; licet alia pluralia collata sint (Cf. *Lorenzium* adnot. in Most, 2 : 1 : 1 = 334), plurale *paces* parum placet, non quia pluralis non exstet (cf. Neue I. 421), sed pluralem sententia non admittit: qui enim triumphans et tripudians e bello redit non *paces* confecit. *Langenius* l.l. pag. 106 monet Plautum nusquam alibi habere *pacem perficere*, sed *facere*, semel tantum *componere* (Merc. 953). [1])

Admirationem quandam movent ista Toxili dicta: *participes* (757 et 758), *omnes* (760), *quorum opera*, cum eorum, qui Toxilo opem tulerunt, unus tantum Sagaristio in scena sit.

De v. 767 „cedo parem quem pepigi", vide supra, pg. 54.

---

[1]) *Langenio* aliqua dubitatio orta esse videtur de integritate initii huius scenae. Scribit enim: „doch möchte ich bemerken, dass sich „inhaltlich der erste Vers mit dem zweiten volständig deckt: hostibus „victis = re bene gesta, civibus salvis = integro exercitu et prae„sidiis, re placida pacibus perfectis = bello extincto."

V. 769. »Meum natalem agitemus amoenum" *cet.* integrum puto: sententia illius *natalis*, ni fallor, hoc loco est: *dies insignis laetitia, dies qui novae vitae initium est.* (auctore *Casaubono:* »natales antiqui omnes vocarunt dies, propter aliquam laetitiam insignem, sibi solemnes.")— Nisi verba quae (769) sequuntur: »date aquam manibus: ponite mensam" dittographiam contineant v. 759, intellegenda sunt de potatione, quae post propriam cenam haberi solebat; sed vix recte primum, quia formula κατὰ χειρὸς ὕδωρ est initium epularum, porro quod ad compotationem mensae non ponuntur sed removentur, et negari non potest cenam admodum brevem fuisse. —

V: 2 (778). Convivium superiore scena coeptum hac continuatur. Interea clara voce eiulans leno prodit, miserrimum se hominem esse praedicans, seque dolis Toxili plane periisse: omnes insidiatores suos communiter ac Toxilum separatim detestatus atque exsecratus, imimicos suos hilare epulantes conspicit: vix oculis suis fidem habens admirationem sic eloquitur: »Set quid »ego aspicio? Hoc vide: quae haec fabulast? pol hic »quidem potant: adgredibor." Dictum factum: leno accedit et potantes alloquitur. Inde ab hoc loco usque ad finem nihil fere habemus nisi coacervationem iocorum et dicteriorum a convivis in Toxilum contortorum.

Tenorem huius scenae attente considerantibus facile nobis apparebit non esse eius argumentum unum et recte conclusum, desiderari quam vulgo unitatem dicunt. Leno postquam appropinquavit et convivas allocutus est (789), ab his per ludibrium adire iubetur eique locus

ad mensam offertur: truculenter autem is hospites monet ne se uno digito attingant, nisi ad terram adfligi cupiant. Porro illos obiurgare incipientem de fraude facta admonent Toxilus et Lemniselenis ut iurgia auferat: melius esse quam turbam facere eum praeverti bonis rebus quibus uti ei liceat. (v. 797, 799, 800.)

Verba Dordali v. 798 »At bona liberta, haec scivisti et me celavisti?" *Ladewicum* movent ut denuo de lacunis cogitet. Putat Plautum cum spectatoribus plura de litterarum consuetudine inter Toxilum et Lemniselenem communicasse quam nos in male mulcatis scenis II : 1 et 2 percipimus. Sine ulla dubitatione autem Goetzio haec refutanti assentior [1]).

Ne Lemniselenis quidem verba (799, 800) animum lenonis nostri sedare potuerunt, neque iram comprimere potest: quo fit ut Toxilus Paegnium dicendo »Quin delude ut soles" (804) lenonem ludibrio habere iubeat [2]). Ille optime officio suo fungitur (805—817), donec Toxilo satis esse videtur, quamobrem Paegnium desinere iubet v. 818: »Iam iam, Paegnium, da pausam." — Cum autem leno nondum linguam suam comprimere possit et denuo convivis minetur, Paegnium iterum eum ludos

---

[1]) Goetzius l. l. 299 et 300 „Lücke(n) jedoch in denselben anzu„nehmen, dazu sehe ich keinen genügenden Grund. Es war ja doch „für Dordalus eine nahe liegende Vermuthung, dass die Lemniselenis „die er fröhlich in der Gesellschaft seiner Feinde fand, gleichfalls in „die Intrigue eingeweiht gewesen sei. Dies brauchte trotzdem aber „nicht der Fall zu sein und ist auch keineswegs der Fall, wie sich „namentlich aus dem Auftrage ergibt, den Toxilus durch Sophoclidisca „an seine geliebte bestellen lässt."

[2]) *Langenius* l. l. pg. 17. monet scribendum esse *delude*, non *elude*.

facere incipit, cui non adversatur Toxilus (819 sqq). Tandem Sagaristio se rixae interponit, quem, lenoni minantem se, nisi taceat, denuo Persam adducturum esse, ille statim agnoscit, dicens: „Taceo hercle, atque tu Persa's qui me usque admutilavisti ad cutem."

Hucusque (832) omnia recte procedunt verbis apte inter se cohaerentibus: convivae, structores insidiarum intellegunt lenonem omnia iam comperisse: ipsi voti damnati sunt: leno praeterea ludibrio habitus est et plagas accepit (805, 810), quamobrem optime hoc loco aditus quidam ad finem (e. c. reconciliatio concordiae inter lenonem et ceteros) fabulae nostrae colophonem adderet.

Item satis placeret si statim post v. 832 legeremus finem fabulae nostrae comprehensum v. 852 — 857. Quae autem legimus v. 833—851 non solum supervacanea esse, verum multum offendere mihi videntur: haud dubium mihi quidem est quin aut hoc loco de contaminatione cogitandum sit, aut haec sint addita ut fabula, qua forma nunc eam habemus, satis brevis, paullum extenderetur.

Singula membra huis partis paullo accuratius exquiramus: v. 833 T. „Agite hunc sultis [1]) ludificemus" quasi nunc demum ludificandi initium fiat! Iam diu contra convivae lenonem ludibrio habent. V. 804 iam Toxilus tale praeceptum dederat („quin delude ut soles"), quod nequaquam neglectum erat.

Tum sequitur altercatio Toxili et Lemniselenis, quae praecepto Toxili obloquens „non par esse dicit se lu-

[1]) Sic cum Guyeto scribendum. Libri: „agite sultis hunc".

dificare illum."[1]) Toxilus autem obedientiam poscit, condicionem patroni et liberti, quae inter se sit, ostentans, donec Lemniselenis confitetur benefacta Toxili exigere ut imperio eius pareat. Quo facto Toxilus rursus praeceptum repetit (843) „Graphice hunc nunc volo ludificari." Nunc Lemn. operam suam pollicetur hisce verbis: „Meo ego id in loco curabo." Quibus verbis auditis non possumus quin exspectemus Lemniselenem probe amicis suis auxilium esse laturam, et pro virili parte lenonem ludificaturam esse. Nihilo secius primo ludificandi partes concedit Sagaristioni et Paegnio (qui iam diu idem fecerant): quae tandem est ista ludificatio quam in suo loco curabit? Nihil nisi quod pro ludibrio lenonem ad cenam invitat, aeque atque iam prius 790 sqq. factum erat: „Intro i patrone, amabo, ad cenam".

Stultissima porro mihi verba lenonis esse videntur v. 844: „Certo illi homines mihi nescio quid consulunt „mali quod faciant:" leno cui vehementia ingesta convitia sunt, qui plagas est perpessus, qui Toxilum imperantem audiverat ut ipse ludibrio haberetur, ac senserat ceteros haec iussa perbene exsecutos esse: ille idem vir nunc tandem maxima simplicitate dicit se putare homines illos nescio quid mali in se consulere!

V. 845. Sag. „Heus vos. Tox. Quid ais? Sag. Hicinest leno qui hic mercatur liberas" *cet.* Haec verba alicuius sunt qui aut nunc demum in scenam prodit, aut adhuc ludificationis expers nunc primum

---

[1]) Sic R. In B. C. D. haec continuantur Toxilo.

eius partem suscipit: verba alicuius qui, ut Sagaristio nostro loco, iam diu operam suam in ludis faciendis cum ceteris consociavit, esse non possunt.

V. 846 leno denuo colaphum accipit et v. 848 ictum pedis, aeque atque ei ictum infringi vidimus v. 809 et 810. — Paegnio (v. 848) iterum se in altercationem Toxili et Dordali insinuanti atque aspere in lenonem invehenti (quo modo agi item v. 794 vidimus), hic eadem ista despicientia singulari respondet, („loquere tu etiam frustum pueri?") qua v. 795 („Quid ais, crux, stimulorum tritor?").

Postremo conferantur verba Lemniselenis (849 sqq.) ad lenonem, et responsa eius cum v. 798, ubi leno illam adloquitur „bona liberta" (ut hic illa lenonem „patrone!").

Item v. 851 „Quian te voco, ut tibi bene sit?" cum v. 799 „Stultitiast, quoi bene esse liceat, eum praevorti litibus."—

Summma disputationis.

Vix credere possum, nisi forte saeculorum pulvere coopertae tabulae alicunde in lucem proferantur, fore ut cuiquam contingat ut omnes supra collectas difficultates ac repugnantias solvat. Quasi sponte sua nos adducunt ad quaestionem: „num Plautina est Persa:" „unde illae difficultates?"

Porro integritatem Persae non semper sine aliqua dubitatione fuisse effici licet ex verbis *Ritschelii*, initio praefationis in Persam: „nam Plautina tam est (Persa) quam potest." Cur enim id tanta adseveratione adfirmat? Quamvis *Ritschelius* fabulae nostrae laudem tribuat [1]), tamen quae addit non paullum m. i. illam sententiam infringunt.

---

[1]) R. opusc. II: 749: „Das Stück hat im ganzen einen sehr natür„lichen gleichmäszigen Fluss, entbehrt aber im einzelnen des geis„treichen Dialogs, der kunstvollen Gruppirung und der feinen Cha„rakteristik, die uns in andern Stücken des Plautus anzieht. Es ist „einfach und gewandt, auch einige Scenen, wie die 4e des 4en Acts „und die Schluszscene, für nicht gar zu feine Gaumen amusant genug; „der Auftritt zwischen den beiden Dienstboten aber, der ohne allen „Zusammenhang mit der Fabel bleibt, durch seine witzlose Gemein„heit nur für das grobste Publicum berechnet."

Conferantur praeterea quae *Brixius* dicit in prol. ad Plauti Trinummum pg. 9. [1])

Nihilominus puto ex ipsis istis difficultatibus ac repugnantiis exitum quendam reperiri, quo admisso origo certe earum rerum aliquatenus me iudice explicetur.

Omnia enim supra exposita colligenti apparet Persam non esse unam in se perfectam ac bene conclusam fabulam. Comoedia nostra diversa complecti videtur neque satis in uno argumento versari. Duae telae ante oculos spectatorum texuntur: altera ut amatori (Toxilo) pecunia suppeditetur, qua amatam suam liberet: ad quod efficiendum servus quidam (Sagaristio, amicus eius) pecuniam ab alio sibi datam ei largitur; altera ut virgine libera, parasiti filia, in speciem vendita lenoni argentum auferatur. Quorum argumentorum utrumque tanta cum ubertate tractatur, ac si duabus fabulis diversis materiam praebere debeat: nihilominus videmus argumentum alterum nulli alii rei inservire nisi ut Sagaristioni (servo qui amicum adiuverat), qui non postulaverat ut pecunia sibi redderetur, immo qui Toxilo argentum suppeditaverat priusquam is dixerat se statim reddere posse, pecunia reddatur. Praeterea ex II : 3 concludendum esse videtur Sagaristionem maius quiddam petiisse, quam ut tantum amicum iuvaret, verum ipsum quoque aliquam voluptatem vel commodum assequi conari, quamobrem dominum avarum decipere cupiat. Cf. in primis v. 265 et 266. (2 : 3 : 14 et 15). Pars fabulae nostrae plurima

---

[1]) „in andern wie in ..... Persa ..... liegen starke Spuren eine „doppelten Recension vor".

ioca summamque hilaritatem exhibens, venditio virginis, quae copiose et abundanter usque ad finem deducitur, non satis spectat ad id, quod est caput rei, ad Lemniselenem liberandam. Praeterquam in iis quae Toxilus dicit v. 323 (2 : 5 : 23 sqq):

Atque omne ego argentum tibi hoc actutum incolume redigam.
Nam iam omneis sycophantias instruxi et comparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum,

nusquam diserte pronuntiatur illam venditionem, quae cum apparatibus dimidiam fere partem fabulae nostrae complet, tantummodo eo consilio fieri, ut Sagaristioni pecunia reddatur. Immo, simulac pecuniam a lenone adepti sunt, Toxilus etiam metuit ne Sagaristio cum pecunia aufugiat: cur hic metus, si eo ipso consilio omnis lapis motus esset, ut Sagaristioni pecunia redderetur?

Non minus quam illa „unitatis" penuria offendit quod tota fere nostra fabula servum liberi hominis speciem prae se ferentem videmus. Toxilus sermone non servis, sed liberis nato utitur: ipse servus alium servi loco habet: etiam parasitum habet, cui opiparas epulas pollicetur, si sibi volenti officia praestiterit: amat a lenone, et amatam suam pecunia liberat: quae omnia in ceteris Plauti fabulis a personis liberis fieri videmus. Nam iocularis est illa poetae excusatio Cas. prol. 67—74, de quo prologo praeterea conferatur *Dziatzko.* [1])

---

[1]) Carolus Dziatko de prologis Plautinis et Terentianis quaestiones selectae pg. 32 scribit: „ex ipsius prologi indiciis Ritschelius

Colligamus praeterea locos ubi vestigia hominis liberi maxime perspiciuntur: cum prologus, tum alii versus, ut:

v. 24. Saucius factus sum in Veneris proelio, sagitta cor Cupido meum transfixit,

v. 33. Haec dies summa hodiest, mea mi amica sitne libera

v. 34. An sempiternam servitutem serviat,

v. 36. Ut mihi des nummos sescentos, quos pro capite illius pendam

indicant argumentum esse fabulae ut *servi causa* pecunia pro amica liberanda exquiratur. Idem in ceteris fabulis *hominis liberi causa* fieri, satis expositum esse puto initio capitis II huius libelli.

v. 43. „Hoc meumst ut faciam sedulo." Officium apud servum tantum valere pro conservo, procul dubio difficilius explicatu est, quam si pro hero vel pro filio herili fieret.

v. 85 (1 : 3 : 5) sqq. Toxilus domo exiens iussa dat conservis suis, quae vulgo a domino servis suis dari audimus. Praeterea tota hac scena Toxili sermo sic nobis ad aures accidit, tamquam si colloquium inter hominem liberum et parasitum haberetur: heri vel filii heriles, non servi parasitis cibum praebent.

v. 247 (2 : 2 : 65). Sophoclidisca ad Paeguium: „Toxilo has fero tabellas tuo *ero*."

„perdiligenti argumentatione Parerg. p. 180 sqq. fabulam illam cum „nostro prologo a. 600 p. u. c. aut paulo post in scaena datam, tunc „autem primum clarioribus poetis omnibus iam mortuis aliquem domi„num gregis veterem fabulam pro nova agere conatum esse ostendit."

v. 251 (2 : 3 : 1) sqq. De gaudio, quo Sagaristio elatus est quod argentum invenerit, quod conservo mutuum det, eadem dicta volo quae ad v. 46.

v. 277 (2 : 4 : 6). Sagaristio ad Paegnium: „Ubi Toxilust tuus *erus?*”

v. 400 (3 : 2 : 1). Dord. „Quidnam esse acturum dicam hunc vicinum meum?” Num homo liber de servo quodam diceret: *meus vicinus?*

v. 405 (3 : 3 : 1). De iussis a Toxilo datis conferantur quae dixi ad v. 85.

v. 501 (4 : 3 : 32) sqq. Sonus et forma epistolae magis decent patrem ad filium, quam dominum ad servum scribentem.

v. 710. Toxilus ad Sagaristionem (Pseudo-Persam) proficisci parantem: „Cras ires potius, hodie hic cenares.” Hic quoque versus multo melius in sermonem hominis liberi adversus peregrinum quam servi quadraret. (Sagaristio enim hoc loco coram lenone liberi peregrini partes agit).

V : 2. Tota hac scena Toxilus magis suae dignitati congruum habere videtur, si alios ad lenonem ludibrio habendum impellat, quam si ipse id faciat.

Quibus omnibus rebus adducimur ut, quamvis sit res incerta, tamen coniectura periclitemur; suspicamur igitur ex duabus fabulis unam esse conflatam, cui titulus Persae inditus sit. Alterius duarum illarum fabularum titulus *Persa* fuisse potest, ex qua in primis actus IV et V fabulae nostrae hausti sint: alterius *Boaria* (vel tale quid), vel ex nomine servi qui pecuniam praebuerit: *Sagaristio.*

Argumentum Persae huiuscemodi: Virgo libera in breve tempus a patre commodata venumdatur: qua pecunia accepta amator (verisimiliter, ex more solito Plauti, homo liber) amicam suam a lenone redimit (igitur post virginem venditam): in altera servus pecuniam, ab hero sibi creditam, ut Eretriae boves mercaretur, furatus, filium herilem (cui semper apud Plautum servum favere videmus) adiuvit ut voti compos fieret.

Quod dixi Toxilum in fabula, unde nostra originem cepit, hominem líberum fuisse, id constare puto. Suspicari porro in promtu est, eum filium herilem fuisse, cuius pater in Asia stipendia fecerit: neque multum a consuetudine abhorret eum aeque atque omnes filios heriles servum habuisse, qui sibi fidelissimus operam dederit ad pecuniam pro amica liberanda alicunde eruendam.

Sed quaeri potest utrum Plautus ipse ex duabus fabulis suam componens effecerit, ut Persa non satis in uno argumento versetur, itaque ipse auctor sit vitiorum, an alius fortasse ex duabus Plauti fabulis Persam composuerit: quorum neutrum firmis argumentis comprobari posse puto: ac dubito utram illarum suspitionum alteri praeferam.

Plautum tamen ipsum auctorem esse huius compositionis hanc ob rem verisimilius esse videtur, quod, ni omnia me fallunt, tota fabula stilus Plautinus agnoscitur. Infinitus est locorum numerus ubi verba et dicendi modus cum aliis ex caeteris Plauti fabulis conferri possint. Praeterea insunt scenae, quae lepore ac salibus Plauto dignissimae sunt: epistula ficta tam

Plautina est quam potest. Veruntamen non est Plautinum perpetuum illud discidium, quod inter singulas dramatis partes observatur, nec Plautina arte dignum quod servi dominorum mores et linguam prae se ferunt.

Itaque quaerenti quomodo tam sui dissimílis poeta exsistere potuerit, se offert suspitio (sive hypothesin magis placet dicere) qua haec fabula ex duabus ab ipso conflata sit, qûam fateor incertam, sed qua admissa multarum controversiarum supra collectarum origo explicatur: velut quomodo fieri possit ut Toxilus dicat sibi pecunia non amplius opus esse, cum in nostra quidem fabula revera pecunia indigeat: cf. v. 126 (1 : 3 : 47); deinde origo scenarum a servis actarum paene omni argumento carentium (cf. II : 2 et 4): item scenae IV : 8, quae non cohaeret cum reliquis et IV : 9, ubi res maximi momenti duobus verbis conficitur; poeta cui manus non sunt adstrictae exemplis suis, qui materiam suam libere elaborat, aut qui unum tantum exemplum sequitur, talia non proferet; sint in his quaedam quae veloci poetae calamo aut librariorum errori debeantur, pleraque tamen alius generis sunt: etsi difficillimum est subtiliter definire quae illi fabulae origini, quae vitiosae scripturae, quae veloci poetae calamo (ad quam rem statim redibo) tribuenda sint.

Quae autem causa poetae fuisse potuit cur hominem liberum, qui in fabula erat, quae pro exemplo fuit, pro servo expulerit? Id tantum commodum oriri potuit, quod sermo humilis atque omnino mores servorum sine ullo temperamento possunt repraesentari, item servi in scena sine ulla offensione saltantes produci,

quod ab hominibus liberis in scena Romana factum esse non videtur. (Cf. quae de ea re disputavit *Teuffelius*, *Studien und Charakteristiken* pg. 277 sqq, citatus in hoc libello pg. 77).

Illud tantum commodom poetae oriri potuit, quamobrem eum eiusmodi consilium spectasse puto.

Facile perspicitur fabulam nostram infimae plebeculae comparatam esse: id propositum negari non potest poetam attigisse, et eo quo vellet pervenisse, ut risum moveret spectatoribus suis dicacitate vernili.

Ceterum non negandum videtur fabulam nostram neglegentius et festinantius compositam esse, et inde factum esse ut quaedam incauto comico exciderint, quae saepe in comoediis usuveniunt, nec tamen in hac apta erant. Huc referendi breviores transitus ut 1 : 1 : 6 et 7 ubi Toxilus de amore loquitur: quod Sagaristio, etsi adhuc nihil de Toxili optatis scit, dicit Toxilo „amicis stulte uteris" (v. 19): porro non satis explicata condicio Lemniselenis: dubia ratio inter lenonem et Toxilum: quod Toxilus altero versu dicit: „Quaero tamen ego item sedulo" (47), altero autem „usque adero domi" (52): quod Toxilus Sagaristioni dicit „(tabulas) quas tu attulisti mihi ab hero meo usque e Persia" v. 461 (4 : 1 : 9): quod idem in fine (834) (5 : 2 : 53) dicit se Lemniselenem emisse, cet.

Etsi saepius ioca atque maledicta ex trivio arrepta aures nostras offendunt, non dicere possumus ea a ceteris Plauti fabulis abesse: sed in ceteris scenae servorum non adeo argumento inanes insunt, ut supra demonstrare conati sumus. Cf. pg. 60 sqq.

Subtilis personarum morum descriptio tali fabula aliena est, atque materia nimis per humum repit, quam ut alicubi excelsiorem animum in ulla persona quaeramus. Virgo tamen proprios sibi mores habet; sapientiam intempestivam atque praeposteram prae se fert, quae, sciens omnia in speciem fieri, tam serio patrem admoneat. In oculos incurrit eam esse personam Atticam: sapientiam, intempestivam praesertim, prae se ferre non erat matronarum aut puellarum Romanarum; sed ludibrio habere sapientiam de schola, philosophiamque irridere iam inde ab Aristophane Atticis comicis familiare. Philosophos a comicis Atticis ludibrio habitos esse satis constat: procul dubio in fabula, unde nostra originem accepit, haec res multo melius elaborata fuit. In minoribus quoque rebus vestigia originis Atticae non desunt, ut nomina duorum saltatorum Ionicorum Hegeae et Diodori 824 et 826: (5 : 2 : 43 et 45): mira ista dos, quam parasitus filiae suae dare promittit: distinctio ista Siculorum et Atticorum logorum 395 (3 : 1 : 67).—

Haec habui quae dicerem de Plauti Persa: nequaquam contendo omnia, quae de re tam difficili dici possint, a me prolata esse, neque sperare possum fore ut omnia haec viris doctis probentur: si modo nonnulla invenientur in hoc conamine meo, quae approbationem virorum doctorum nanciscantur, haud suscepti laboris pigebit.

THESES.

THESES.

I.

Lacuna, quam Fleckeisenus statuit in PLAUTI *Pseudolo* I : 3 : 24 explenda est „Sardu's".

II.

PLAUT. *Curcul.* v. 73:

Quid an te pones Veneri ientaculo?

Lege:

Quid antepones Veneri tu ientaculi?

(Nonius p. 126. 10: Ientare..... Plautus Curculione Quid antepones Veneri ientaculi?

III.

PLAUT. *Bacch.* 118 (1 : 2 : 10):

Mali sunt homines qui bonis dicunt male.

Lege:

Mali sunt homines qui *deis* dicunt male.

IV.

PLAUT. *Bacch.* 281 (2 : 3 : 47):

NI. Perii hercle. lembus ille mihi laedit latus.

Lege:

NI. Perii hercle. lembus *lumbos* laedit *is* mihi.

V.

PLAUT. *Cas.* 3 : 2 : 14:

Vin vocem? CL. Sine: nolo, si occupatast. AL. otium est.

Sic expleatur:

Vin vocem? CL. Sine: nolo, si occupatast. AL. Immo ei otium est.

VI.

PLAUT. *Cistell.* 1 : 1 : 97 et 98:

Coepi amare contra ego illum et ille me. LE. O mea Selenium. SI. Quid est?
LE. Assimulare amare oportet. Nam si ames extempulo *cet.*

Lege:

Coépi amare cóntra ego illum et ílle me. LE. O mea Selénium!
SI. Quídnam est? LE. *Dissimuláre* oportet; nám si ames extémpulo *cet.*

VII.

PLAUT. *Cistell.* 4 : 2 : 72:

HA. At pol, illa quaedam
Quae illam cistellam perdidit, quoidam negat esse quod det.

Lege:

HA. At pol, illa quaedam
Quae illam cistellam perdidit, *quicquam* negat esse quod det.

VIII.

TACIT. *Dial.* 6:

Nam ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur atque elaborentur, gratiora tamen quae sua sponte nascuntur. (*alia* om. Codd. M apud Baehrens).

Malim:

Nam [in] ingenio quoque, sicut in agro, quamquam *quae* diu seruntur atque elaborantur [grata], gratiora tamen quae sua sponte nascuntur.

IX.

TACIT. *Annal.* 11:12:

operire futura et praesentibus frui pro solacio habebat.

Legendum puto:

opperiri futura et praesentibus frui pro solacio habebat.

X.

CAESAR de bell. Gall. II: 17: 4:

teneris arboribus incisis atque inflexis crebrisque in latitudinem ramis enatis et rubis sentibusque interiectis effecerunt *cet.*

Deleatur: *crebrisque.*

XI.

HOM. *Od.* 14:375:

ἀλλ᾽ οἱ μὲν τὰ ἕκαστα παρήμενοι ἐξερέουσιν.

Lege:

ἄλλοι μὲν τὰ ἕκαστα παρήμενοι ἐξερέουσιν.

XII.

Hom. *Od.* 22 : 85 et 86 :

> κάππεσε δινηθείς. ἀπὸ δ' εἴδατα χεῦεν ἔραζε.
> καὶ δέπας ἀμφικύπελλον· ὁ δὲ χθόνα τύπτε μετώπῳ.

Deleantur verba ἀπὸ — ἀμφικύπελλον, quorum priora male repetita videntur e v. 20. Cf. v. 74. Pro ὁ δὲ scribendum: ὧδε.

Igitur :

> κάππεσε δινηθείς· ὧδε χθόνα τύπτε μετώπῳ.

pro quo item satisfaceret: κάππεσεν ἰδνωθείς quod habent pars librorum et γρ. Schol.

XIII.

Aesch. *Prom.* 192:

> σπεύδων σπεύδοντι ποθ' ἥξει.

Legendum puto:

> σπεύδων μὴ 'νδόντι ποθ' ἥξει. (= mihi non cedenti.)

XIV.

Soph. *Oed. Rex* v. 1349 et 1350:

> ὄλοιθ' ὅστις ἦν ὃς ἀγρίας πέδας
> νομάδ' ἐπιποδίας ἔλαβέ μ' ἀπό τε φόνου κτέ.

Fortasse:

> ὄλοιθ' ὅστις ἦν ὃς ἀγρίαις πέδαις
> δεδεμένον πόδας μ' ἔλαβ' ἀπό τε φόνου κτέ.

XV.

Soph. *Oed. Col.* 271 :

> ὅστις παθὼν μὲν ἀντέδρων, ὥστ' εἰ φρονῶν
> ἔπρασσον, οὐδ' ἂν ὧδ' ἐγιγνόμην κακός;

Legendum puto:

> ὅστις παθὼν μὲν ἀντέδρων, ὃς κεἰ φρονῶν
> ἔπρασσον, οὐδ' ἂν ὣς ἐγιγνόμην κακός;

ὣς e coniectura legit Blaydes.

XVI.

Soph. *Oed. Col.* 402:

κείνοις ὁ τύμβος δυστυχῶν ὁ σὸς βαρύς.

Lege:

κείνοις ὁ τύμβος μὴ τυχοῦσ' ὁ σὸς βαρύς. (= nisi participes fiant.)

XVII.

Soph. *Trach.* 385:

ὡς ἐγὼ λόγοις
τοῖς νῦν παροῦσιν ἐκπεπληγμένη κυρῶ.

Legendum:

ὡς ἐγὼ μόγοις
τοῖς νῦν παροῦσιν ἐκπεπληγμένη κυρῶ

XVIII.

Soph. *Trach.* 882:

τίς θυμὸς ἢ τίνες νόσοι
τάνδ' αἰχμὰν βέλεος κακοῦ
ξυνεῖλε; πῶς ἐμήσατο κτέ.

Lege:

τίς θυμὸς ἢ τίνες νόσοι
τάνδ' ἀθλίαν βέλει κακῷ
ξυνεῖλε; πῶς ἐμήσατο κτέ.

XIX.

Soph. *Elect.* 758:

καί νιν πυρᾷ κέαντες εὐθὺς ἐν βραχεῖ
χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ
φέρουσιν κτέ.

Legendum puto:

και νιν πυρᾷ κέαντες εὐθὺς ἐν βραχεῖ
χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλὴν νῦν σποδὸν
φέρουσιν κτέ.

XX.

Arist. *Aves* 1195.

μή σε λάθῃ θεῶν τις ταύτῃ περῶν.

Malim:

μή σε λάθῃ θεῶν τις αὖθις περῶν.

XXI.

Thuc. V: 1.

καὶ ἅμα ἐλλιπὲς σφίσιν εἶναι τοῦτο τῆς καθάρσεως ἦν πρότερόν μοι δεδήλωται ὡς ἀνελόντες τὰς θήκας — ὀρθῶς ἐνόμισαν ποιῆσαι κτέ.

Malim: *καὶ ἅμα ἐλλιπὲς σφίσιν εἶναι τοῦτο τῆς καθάρσεως ἦν, ὡς πρότερόν μοι δεδήλωται ἀνελόντες, κτέ.*

XXII.

Callisthenes non conscius erat Hermolao Alexandro Magno insidianti.

XXIII.

Nihil est cur cum *Groteo* (hist. of Gr. IV: 31) suspicemur Thucydidem in errore versari, dum Plataearum cum Athenis foederis initia ad annum 519 referat.

XXIV.

Minus recte *Droysen* (Kritik der Geschichte des Alex. des Gr.) pg. 94: »die Soldaten der Phalanx waren »schwer bewaffnet im Griechischen Sinne, gerüstet mit »Helm, Harnisch und einem Schilde, der den Ganzen »Leib deckte."

Contra Macedonibus parmae erant non magnae.

XXV.

Livio (I: 32) dicente: »res ad patres redierat", intellegendus est *senatus*.